

Biblioteca
ASTRA, Sibiu

92P.C.N.

405¹²

SIV 2088²

F. Bennettus ferme Provincia
Favarica fluvius.

Q, 44

C

RECIDIVUS

Medicè quidem, non tamen misere, sed feliciter vivens.

SEU

PRAXES THEOLOGICÆ, PRO CONFESSIONALI APPLI- CANDÆ, DE CONSUETUDINE, ET OCCASIONE PROXIMA PECCANDI:

Unācum Parergis speculativis de
Sacramentis in genere, & in specie,
Sacrificio Missæ; nec non de Censuris
Ecclesiasticis:

Examina litterario publico sub-
jeclæ

In Conventu, ac Studio Theo-
logico Frisingensi FF. Minorum

S.P. FRANCISCI Reform.



P R A E S I D E

P. F. STANISLAO KARG,
dicti Ord. Conventū & Studij SS.

Theologiae Lectore Ordinario.

D E F E N D E N T I B U S

P. F. ROLANDO JAUD, P. F. MATERNO HOF-
SINGLDINGER, ET F. GENESIO PFLEGER,
Eiusdem Ordinis ac Studij.

Die Mensis Augusti, Anno 1717.

Cum Facultate Superiorum.

MONACHII, Typis Joannis Lucæ Straubij.

3315

CONFESSARIUS
Non tantum in Sacro Pœ-
nitentiæ Tribunal, sine acce-
ptatione Personarum,
Judicibus æquissimis:

Nec non

In instruendis à via veritatis erran-
tibus, sine proprio interesse
Doctoribus indesessis:

Verum etiam

Animarum, pretiô magnô redem-
ptarum, per peccatum tamen lethaliter sau-
ciatarum

Medicis Spiritualibus,
Propter necessitatem, unde salus
æterna dependet, summè honorandis:

Veris Samaritanis,
Justitiæ vinum, ac misericordiæ
oleum in Pœnitentium vulnera salubriter, atque
juxta prudentiæ leges infundentibus; sim-
plices hæc Pagellas

*Hæc illima reverentia, & sinceritate
non ficta*

Dedicant

P R A E S E S,
E T
DEFENDENTES,



SECTIO I.

*De Recidivo, consuetudine peccandi
infecto.*

I.

UT in Medico, in valetudinem cognovisse; propè curâsse, ita ignorâsse, ægrum fermè peremisse est. Prima itaque periti Medici cura exigit, ut morbum, radices, causas, incrementa, & totum ejusdem statum penetret; quibûs cognitis non adeo difficile videtur, noxia amo vere, remedia præscribere, ac ipsam demum infirmitatem totaliter depellere. Idem quoque usuvenire solet in Animarum morbis; siquidem ignarus Medicus spiritualis infirmitatem non tollit, sed potius mortis æternæ periculum causabit, dum aut nulla adhibere poterit remedia, aut non idonea, aut etiam contraria, atque nociva. Quare omnino necessarium videtur, antequam spirituali duplicis nostri Recidivi curationi manum apponamus, priùs indagare, quisnam veniat nomine Recidivi, ac Consuetudinarij; & quænam consuetudo peccandi graviter sit peccaminosa, atque à Consuetudinario omni possibili modo emendanda. Hinc

2. Quæritur I. Quid hîc intelligatur propriè per
A Reci-

Recidivum ? Respondetur I. Recidivus ad istud propositum dicitur ille, qui post plures confessiones, post repetita emendationis proposita, in eadem gravia peccata iterum, iterumque relabitur. Ita Lessius, Lugo, Filliucius cum communis DD. Dicitur I. *Post plures confessiones, &c.* quia hic relapsus in peccata consideratur in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, ritè ac legitimè à Confessario administrandum, & à pœnitente suscipiendum. Dicitur II. *in peccata gravia, &c.* qui enim solummodo in venialia relabitur, propriè non venit nomine Recidivi ad nostrum propositum; cum consuetudo ex peccatis venialibus generata non adeo pœnitentibus periculosa sit, ac Medicis spiritualibus ad curandum difficilis; quamvis in illis, qui modica spernunt, successivè ad graviora disponat. Dicitur III. *in eadem peccata;* nam relapsus in peccata ejusdem speciei, v. g. blasphemias, propriè aliquem constituit Recidivum, non autem multiplicatio peccatorum diversæ speciei: quamvis à potiori multa alia peccata talem relapsum concomitari soleant.

3. Respondetur II. Recidivus ita breviter descriptus, alias est consuetudine peccandi infectus, qui propriè consuetudinarius nuncupatur; alias in occasione peccandi constitutus. Primus dicitur, qui in eadem peccata gravia iterum, iterumque relabitur ob aliquam sibi intrinsecam occasionem & circumstantiam, inclinantem, facilitantem, impellentem ad peccandum; uti est naturæ

corruptæ fragilitas, pronitas in malum, consuetudo inveterata, ac ipsa natura jamjam vitiis habituata: talis consuetudinarius v. g. habetur in blasphemando, peierando, &c. Secundus dicitur, qui in eadem peccata gravia iterum, iterumque relabitur ob extrinsecam aliquam occasionem, & circuistantiam, in qua versatur; qualis est Concupinarius v. g. qui domi retinet Concubinam, cum qua iterum, iterumque peccat. De isto secundo Recidivo aget Sectio tertia & quarta. De primo autem, seu de Consuetudinario propriè tali prima & secunda Sectio tractabit. Quia verò consuetudinarius à consuetudine suam desumit denominationem atque essentiam, priùs investiganda erit ipsa natura consuetudinis, ut medianta hac perveniri possit in notitiam ipsius consuetudinarij. Ideoque

4. Quæritur II. Quid propriè ac essentialiter importet Consuetudo peccandi formaliter talis? Ante responsionem notandum, quòd in consuetudine ad nostrum propositum tria intervenire ac considerari possint. Primò: ipsa pluralitas ac frequentia actuum graviter peccaminosorum ejusdem speciei, quos consuetudinarius ex sua in malo inveterata natura, ac inclinatione perversa iterum, iterumque producit atque coacervat: & hæc dicitur Consuetudo formalis. Secundò: pravus aliquis animi habitus, qui generatur per frequentatos illos actus peccaminosos, inclinans postmodùm voluntatem ad similes actus ponendos: hinc consue-

Sectio I. De Recidivo;

tudo taliter accepta altera quasi natura nuncupari solet: & est Consuetudo causalis. Tertiò: mala voluntas, seu potius volitio retinendi, & non depoñendi, vel emendandi contractam consuetudinem, & dictum habitum: & ista vocatur Consuetudo continuativa, seu conservativa. Talis autem voluntas, seu volitio est duplex; vel Formalis: quando quis actu positivo dictam Consuetudinem vult retinere, & non dimittere aut emendare; vel Virtualis ac Interpretativa: in quantum aliquis agnoscens, se esse in conscientia obligatum ad suam pravam consuetudinem deponendam, emendandam, &c. nullum tamen, aut saltem non sufficientem & efficacem adhibet conatum ad eandem deponendam vel emendandam: quæ differentia inter consuetudinem formalem, causalem, ac continuativam seu conservativam pro clara subsequentium Responsionū intelligentia bene notanda est. Modò ad quæsumus.

5. Resp. I. Neque ille habitus pravus, neque dicta voluntas seu volitio mala constituit formaliter consuetudinem propriè dictam. Ita Bosco de Sacramentis, & Cardenas in sua Crisi Theologica, cum pluribus alijs. Ratio priui est: quia talis habitus non est ipsa consuetudo formaliter talis, sed potius effectus ex ista consuetudine peccandi in homine relictus, inclinans postmodùm ac facilitans voluntatem consuetudinarij ad similes actus peccaminosos producendos, ex quibus prius fuerat genitus. Ex quo patet primò, quod iste habitus pravus possit dupliciter considerari; vel in or-

dine ad actus praecedentes frequentatos, ex quibus erat generatus, ac qui (ut statim dicetur) sunt consuetudo peccandi formaliter talis, & tunc habet rationem effectus, sicut alij habitus respectu suorum actuum, ex quibus fiunt: vel in ordine ad actus subsequentes, ad quos producendos voluntatem inclinatae facilitat; & tunc habet rationem causæ saltem partialis, tñm cum voluntate ad eosdem concurrens. Ideoque iste habitus juxta dicta vocari potest consuetudo causaliter talis. Partet II. posse contingere, quod in aliquo jam cessaverit per emendationem, vel aliunde consuetudo peccandi, v. g. detrahendi, blasphemandi, &c. & tamen in illo adhuc remaneat pronitas quedam naturæ ad peccandum inclinans, nisi refrænetur. Ratio secundi est: quia talis volitio prava jam supponit consuetudinem peccandi formaliter talem, quatenus consuetudinarius per istum actum vult, atque intendit illam non deponere, sed retinere: ideoque talis volitio est potius causa conservativa & continuativa consuetudinis peccandi, quam ipsa consuetudo.

6. Resp. II. Consuetudo propriè & formaliter talis essentialiter consistit in ipsa pluralitate, cumulatione, ac frequentia actuum lethaliter peccaminorum ejusdem speciei. Ita praecitati. Ratio est: ideo enim aliquis denominatur recidivus consuetudinarius, quia iterum, iterumque relabitur in antiqua peccata. Nec dicas, quod isti actus sint potius causa consuetudinis, quam ipsa consuetudo;

cum ex frequentatis actibus , v. g. blasphemis acquirat blasphemans demum consuetudinem blasphemandi: siquidem hoc tantum verum est de consuetudine causaliter, non autem formaliter talis: ut primum dictum est. Patet modò ex dictis, quod recidivus, qui dicitur consuetudinarius, sit ille , qui peccat absque occasione proxima , ex malo habitu , inveterato affectu ad peccatum , & sic in illud idem sapientius relabitur ; quales sunt usurris dediti , assueti blasphemare , jurare , proximo mala imprecari , se polluere absque occasione extrinseca , in mensuris ac ponderibus ementes defraudare , & alij hujusmodi.

7. Quæritur III. An, & qualis sit differentia inter consuetudinem & occasionem, præsertim proximam, peccandi? Ante responsonem notandum , quod aliqui Theologi ac Summistæ confundant consuetudinem cum occasione peccandi ; cum tamen sint prorsus diversæ , ut ex sequentibus patet ; nec non una sine altera esse possit. Licet enim omnis occasio , saltem proxima peccandi plerunque afferat simul consuetudinem peccandi ; consuetudo tamen peccandi propriè sumpta sapientissime, immò ferine scimus datur sine dicta occasione proxima; quemadmodū patet in eo, qui v.g. se frequenter polluit ex sola fragilitate propria , qui frequenter peierat , vel execrationibus utitur in quoconque motu iræ. Quare

8. Resp. Consuetudo & Occasio peccandi in hoc differunt, quod occasio importet aliquod objectum

jectum motivum seu inductivum extrinsecum, sive proximum, sive remotum, ad peccandum; quod clarè patet in concubinario v. g. cui concubina, cum qua commoratur, est occasio, seu objectum motivum ac inductivum extrinsecum ad peccandum carnaliter. Consuetudo peccandi econtra non importat tale objectum motivum ac inductivum extrinsecum, sed potius intrinsecam pronitatem voluntatis humanæ, in malo jam habituatae, ac naturæ ad frequentanda eadem peccata pronæ. Manifestum est hoc in quibusdam iracundis v.g. qui in omni fermè iræ motu blasphemant, maledicunt, &c. Et quamvis talibus objectum extrinsecum aliquando ansam præbere videatur ad tales actus peccaminosos; hoc tamen non est motivum proximum ac immediatè inductivum, sed potius per accidens se habet; cum iracundus proximè & immediatè moveatur, seu inclinetur ad tales blasphemias, maledicta, &c. à sua propria prava, ac jam jam habituata natura. Ex quo patet, quod occasio præsertim proxima duo importet, ut infra adhuc magis declarabitur, nempe aliquod objectum ac motivum extrinsecum, & inductivum ad peccandum, nec non intrinsecam fragilitatem, & pronitatem naturæ in peccata, sive deinde adsit simul habitus facilitans ad peccandum, ut dicitur de consuetudine, sive non. Econtra consuetudo de se dicit solam pronitatem ad peccandum naturæ jam habituatae.

9. Quæritur IV. An, & qualis consuetudo sit peccatum?

tum? Notandum, statum quæstionis esse, utrum pœnitens, quando habuit consuetudinem peccandi, & jam rite confessus fuit omnia peccata, in quibus fuerat consuetudinarius, teneatur quoque de ista consuetudine se accusare in confessionali, tanquam de aliquo peccato speciali distincto, etiam Confessario non interrogante. Ad quidnam enim obligetur, quando Confessarius de consuetudine illum expressè interrogat, in sequentibus dicetur. Hinc

10. Resp. I. Consuetudo continuativa, seu voluntas positiva & formalis non deserendi consuetudinem pravam procul dubio, & secundum omnes, est novum ac distinctum peccatum in confessione explicandum: siquidem qui vult, & quasi approbat causam, vult quoque ipsum effectum, certò certius cum tali causa connexum: cum ergo consuetudo causaliter talis sit causa facilitans, atque inclinans ad producendos actus peccaminosos; consequenter consuetudinarius, si positivè vult illam retinere, vult quoque peccata ex consuetudine fecitura: quod utique semper malum & peccaminosum est. Quidnam sentiendum sit de volitione virtuali, seu interpretativa consuetudinis peccandi, dicetur inferius.

11. Resp. II. Consuetudo formaliter & propriè talis non est novum ac distinctum peccatum, per se loquendo, in confessionali explicandum. Ita Suarez de Pœnitent. Lugo, Perez, Bassæus, cum plurimis alijs. Ratio est: quia circumstantia relapsus

psūs non mutat speciem, neque auget numerum, eò ipso, quòd consuetudo formaliter talis nihil aliud sit, quam actus ipsi frequentati. Neque affiri potest ratio, cur pœnitens obligetur ad hujusmodi circumstantiam explicandam; modò cum debito dolore ac alijs essentialiter requisitis de commissis peccatis quoad numerum & speciem se accusavetit, ac imposterum vitæ emendationem firmiter proponat: aliàs enim, si pœnitens consuetudinem peccandi exponere obligaretur, idem esset, ac obligare illum, peccata jam legitimè confessâ iterum repetere; quod sane nullus dicet.

12. Resp. III. Consuetudo causaliter talis, seu ille pravus habitus ac pronitas ad peccandum ex frequentatis actibus peccaminosis generata, atque in consuetudinario remanens, de se loquendo, non est peccatum, consequenter neq; clavibus Ecclesiæ subjici debet. Ita Bosco, Cardenas, Tañerus cum pluribus alijs Theologis. Ratio est: quia omne peccatum universaliter ac semper importat vel actum aliquem prohibitum, vel omissionem actus præcepti: talis autem habitus neque actus prohibitus est, neque omissione actus præcepti, sed potius aliquid facilitans & inclinans ad actus peccaminosos eliciendos.

13. Resp. IV. Ille, qui advertit, se habere consuetudinem peccandi causalem, simulque agnoscit obligationem suam talem deponendi ac emendandi, & tamen nullum conatum illam deponendi ac emendandi adhibet, mortaliter peccat.

Ita Bonacina, Sanchez, Palaus, Mastrius in sua Theologia Morali, & alij. Ratio est: quia ille peccat mortaliter peccato omissionis, qui omittit aliquid, ad quod tamen faciendum graviter obligatur in conscientia: sed consuetudinarius graviter in conscientia obligatur ad hoc, ut conatum ac diligentiam adhibeat ad deponendam ac emendandam consuetudinem suam pravam: ergo peccat peccato mortali omissionis, si omittat talem conatum ac diligentiam: nam potens depone consuetudinem, & tamen hoc negligens, censetur eam velle & approbare, & sic saltem indirecte velle omnia peccata ex tali consuetudine oritura; consequenter peccat formaliter, & manet in statu continui peccati mortalis omissionis. Deinde voluntarie persistens in morali periculo & occasione proxima extrinseca graviter peccandi, secundum omnes censetur peccare mortaliter: ergo etiam voluntarie persistens in morali periculo & occasione proxima intrinseca peccandi (uti est consuetudo) quam advertere supponimus, nec eam delere satagit, censetur peccare mortaliter, & esse in statu continui peccati mortalis. Dictum fuit notanter, & tamen nullum conatum talem deponendi, & emendandi adhibet; nam talis consuetudo peccandi inculpabiliter retenta, videlicet jam revocata per pœnitentiam, & efficax propositum emendationis, ac conatus adhibendi ad eam extirpandam, non amplius constituit hominem in statu peccati mortalis, quia non est amplius verè voluntaria.

14. Nec

14. Nec dicas I. cum P. Stoz in suo Tribunali
Pœnitentiæ: cùm consuetudo peccandi ex se non
tam peccatum, quām effectus peccati præteriti sit,
non esse obligationem extirpandi talem habitum,
& sic illum extirpare negligentem neutiquam pec-
care mortaliter. Contra est, & conceditur qui-
dem, quòd juxta dicta consuetudo peccandi cau-
saliter talis ex se non sit peccatum, sed tantùm effe-
ctus peccatorum præteriorum; imò neque ex se
est peccatum, si consideretur in ordine ad actus
subsequentes, ad quos inclinat & facilitat con-
suetudinarium: nihilominus tamen respectu ho-
rum est vera causa, ad quam tollendam consue-
tudinarius in conscientia obligatur; cùm ex illa
non sequantur effectus peccaminosi per accidens,
sed per se, eò ipso quòd habitus ex se inclinet ad
effectus similes illis, ex quibus fuerat generatus.
Nec dicas II. cum eodem Authore, & Sporer: Li-
cet sit obligatio extirpandi talem habitum, hæc
tamen est jam inclusa in ipsa obligatione de novo
non peccandi, & sic cum illa moraliter confun-
ditur; non enim in moralibus tam subtiliter, aut
etiam amarè agendum est, ut una ex his obliga-
tionibus censeatur esse diversa ab altera: sicuti ta-
men econtra judicatur, illam externam & volun-
tariè assumptam ac retentam occasionem peccan-
di extrinsecam inducere talem obligationem.
Contra est, & negatur, quòd obligatio deponen-
di consuetudinem peccandi sit inclusa in obliga-
tione de novo non peccandi: quia istæ duæ obli-
gatio-

gationes habent diversos terminos, quos respiciunt, quatenus obligatio deponendi consuetudinem respicit ipsam causam, mediante qua à consuetudinario actus peccaminosi producuntur; obligatio verò non peccandi imposterum respicit ipsos actus evitandos, ad quos inclinat dicta consuetudo. Nec quoad hoc est disparitas inter consuetudinem & occasionem peccandi: sicut enim ille, qui in occasione proxima peccandi est constitutus, tenetur hanc causam adæquate sumptam removere, ex qua solent oriri peccata; sic ille, qui habet consuetudinem peccandi, obligatur quoque tollere causam, nempe consuetudinem, quæ inclinat ad actus peccaminosos. Nec dicas III. eò ipso, quod Pœnitens devitet peccata alias ex consuetudine provenientia, emendat & ipsam consuetudinem, & sic in obligatione non peccandi imposterum includitur quoque obligatio deponendi consuetudinem. Contra est: ex hoc enim, quod consuetudinarius evitet imposterum peccata, non statim tollitur consuetudo peccandi; cum habitus probabilitas non destruantur, nisi per contrarios actus: consequenter tenetur specialem conatum adhibere, ut & ipsam consuetudinem extirpet mediis suo loco specificandis, alias semper fovebit ignem, imò serpente in sinu suo.

I 5. Infertur primò. Quando aliquis indeliberatè ac inadvertenter contraxit consuetudinē peccandi, v. g. blasphemandi per frequentissimas blasphemias, non peccavit quidem contrahendo istam

istam consuetudinem, consequenter neque tenetur se de illa accusare in confessionali: si tamen postmodum advertat, se tali consuetudine esse implicatum, & non adhibeat debitam diligentiam tollendi eam, peccat mortaliter, & tenetur hanc circumstantiam confiteri. Ratio est eadem, quæ prius: cum talis voluntariè retineat illud, quod de se est causa peccati; consequenter eò ipso, quod illam tollere negligat, vult saltem indirectè peccatum, quod inde sequitur: quod tamen peccaminosum est. Interim tamen sapissimè excusantur saltem à peccato mortali consuetudinarij maximè in blasphemando, quia revera communiter non advertunt ad obligationem, quam habent, illam extirpandi consuetudinem, ne sit causa proxima peccatorum inde sequentium; consequenter cum excusentur à peccato, etiam excusabuntur à confitenda ista transgressione suæ obligationis.

16. Infertur II. Scienter & voluntariè frequentat's actib' consuetudinem peccandi contrahens, v. g. qui deliberatè frequentat blasphemias, & simul advertit, sensim consuetudinem blasphemandi sibi ingenerari, graviter, & quidem duplicitè peccat; 1. mò ipsa actuali blasphemia, vel alio peccato: 2. dò ponendo ac contrahendo advertenter consuetudinem tanquam causam proximam ad alia subsequentia peccata inclinantem. Hinc ille, qui ita voluntariè contraxit consuetudinem peccandi, v. g. blasphemandi, peierandi, &c, non satisfacit in confessione, si dicat, sc̄ toties,

v.g. trigesies , centies &c. deliberatè blasphemâsse, peierâsse &c. sed insuper dicere debet, se ita continuò frequentâsse blasphemias, vel perjuria deliberatè , ut jam consuetudinem fibi quasi naturalem induxit; ut bene advertit Sporer in sua Theol. Morali cum Layman, & Valentia.

17. Infertur III. Confessarius tenetur Pœnitentem admonere de gravi sua obligatione deponendi ac emendandi suam consuetudinem , dum advertit , eum istam obligationem ignorare : quia Confessarij , ut Doctoris , munus est , instruere Pœnitentem de illis , quæ requiruntur non tantum ad promovendam Pœnitentis salutem spiritualem , sed etiam ad rite , validè , ac fructuosè recipiendum Sacramentum pœnitentiaæ. Hinc sæpiissimè admonendi sunt plebei de gravi obligatione deponendi, ac emendandi consuetudinem blasphemandi, Mercatores , Opifices &c. de gravi obligatione tollendi consuetudinem peierandi; molitie dediti de gravissima obligatione extirpandi fædissimam consuetudinem se polluendi; & sic de alijs. Nec placet illa sententia quorundam DD. dicentium, quòd Confessarius non obligetur admonere pœnitentem , imò neutquam admonere debeat , si laboret ignorantia invincibili , ac nulla spes emendationis affulgeat ob talem admonitionem , cùm potius fiat ex peccatore materialiter tali formaliter talis: exemplificant autem potissimum de consuetudinario molitiei dedito. Non placet , inquam , ista sententia sic absolute proleta : licet enim

enim Confessarius ad evitanda majora mala , atque consequentias damnosas aliquando Pœnitentem relinquere possit in sua ignorantia invincibili ; quando res non amplius est integra ; ut dum Confessarius advertit pœnitentem v. g. invincibiliter ignorare invaliditatem sui matrimonij jam contracti , interim prævidens plurima mala ac gravissima damna oritura , si admoneat . Hoc tamen nequit tunc semper verificari , quando res adhuc est integra , uti fit in talibus consuetudinarijs ratione deponendæ ac emendandæ consuetudinis pravæ , maximè in blasphemando , peierando , & præ omnibus in materia mollitiei , in qua vix dari potest ignorantia invincibilis (ut bene docet La Croix lib. 6. Theol. Moral. de Minist. Pœnitent.) & quamvis hoc esset , prudenter tamen judicari poterit , maturam admonitionem profuturam ; ubi econtra ignari ita in malo inveterascunt , ut demum , postquam forsan sentiunt remorum conscientiæ , dubitant , vel omnino resciunt suam obligationem , fiant omnino incorrigibiles . Cæterum , ut Medici spirituales primùm practicantes , seu Neo-Confessarij aliqualiter intelligent pro meliori judicio in Confessionali formando , quinam potissimi sint morbi , seu consuetudines pravæ , quæ efficaci curatione indigent ;

18. Quæritur V. Quænam sint potissimæ consuetudines peccandi , tam pœnitenti ad deponendum , quam Confessario ad curandum difficiles , atque periculosæ ?

19. Resp.

19. Resp. I. Inter alias tales consuetudines primum quasi locum tenet consuetudo mollitiei, seu turpiter se polluendi. Sanè hoc dicere non auderem, nisi in rebus conscientiam tangentibus versatissimus Gobat in suo Alphabeto Confessorum diceret: *Totus mundus, & infernus, ut sanctæ Christinae Virgini ostendit Christus Dominus, hoc scelere est inquinatus.* Et non minùs doctrinâ, quam pietate purpuratus Toletus lib. 5. cap. 13. ait: *Hoc peccatum est difficilime curatioris, quia occasio semper cum homine est; estq; præterea adeo universale peccatum, ut crediderim, maximam partem damnatorum infici hoc peccato:* Nempe proper contractam consuetudinem, quæ successivè fit altera natura: ad quam itaque vincendam, ac totaliter etadicandam consuetudinarios istos cunctas vires impendere, ac remedia à Confessarijs præscripta omni possibili modo adhibere necesse erit, si suam conscientiam è periculosisimo statu continui peccati mortalis eripere, ac æternam damnationem evitare velint.

20. Infertur. Ad hanc consuetudinem reduci potest consuetudo illa, à multis quidem practicata, à paucis verò ut summè nociva minimè evita; consequenter sub gravi obligatione deponenda: quatenus non pauci sunt ita assueti, ut data quacunque liberiore occasione quascunque personas alterius sœxus sive ligatas, sive solutas impudicè tangant, osculentur, quibuscunque discursibus

bus obscena immisceant &c. nihil quidem malum (uti dicunt) intendentis, interim tamen docente experientia prævidentes tam in se, quam in alijs inorosas delectationes, turpia desideria, obscenos motus, ac alios effectus castitati repugnantes, vel saltem scandalum. Attendant tales, & contemniscant ad illud æternæ Veritatis fulmen: *Væ illi, per quem scandalum venit.*

21. Resp. II. Inter alias consuetudines magnam hominum partem inficientes est consuetudo blasphemandi; quæ potissimum notatur in rusticis, operarijs, artificibus, militibus, &c. quatenus ex qualibet causa, ut quando boves, vel equi aratum, aut currium non bene trahunt, labores & artificia ad placitum non succedunt, aliquid billem moveant, aut aliud contrarium occurrit &c. continuò ac ferme semper in hotrendas blasphemias sive in Deum, sive in Sacra menta, sive in Sanctos, sive in elementa ac creaturas, ut sint aliquid Dei, erumpunt. Hi profectò sunt constituti in continuo statu peccati mortalis; si talem consuetudinem emendare, & successivè extirpare non contentur: ut suprà jam dictum, & probatum est.

22. Infertur, & simul quaeritur, quidnam dicendum sit de illo casu, quem ponit ex Laymano, Sporet Tr. 2. in 1. i. m. p. p. Decal. c. 10. Sect. 3. e. g. Dux vel Officialis bellicus dicit in Confessione, se milites suos ita male assuetos ad officium cogere non posse, nisi velut vehementer iratus verba sacra effundat, v. g. *Dei Sacra menta, Dei*

Chrisma & Baptismus, quæ verba tamen (ut testatur) non alia mente profert, nisi ut militibus metum tandem iratus incutiat. Sic quoque discurrendum esset de alijs, v. g. Patribus familiis, Dominis, Officialibus, &c. similia verba proferentibus, quibūs emphasis quasi suis, & energiam mandatis dare volunt ad procurandam obedientiam, vel executionem alicujus rei. Resp. ergo : Licet ista consuetudo in homine Christiano neutriquam laudanda sit (ut optimè insinuat Sporer citatus) sed potius à quolibet Confessario istis consuetudinarijs dissuadenda, ac interdicenda propter rationes in sequentibus limitationibus ponendas : interim tamen talis consuetudinarius peccati mortalis non videtur esse damnandus, etiam si eam depонere non voluerit : quia ad veram blasphemiam mortaliter peccaminosam requiritur, ut sit contumeliosa in Deum locutio ; cum autem talia verba, quæ aliquis ad incutiendum timorem profert, v. g. *Dei Sacra menta*, *Dei Chrisma &c.* non sint contumeliosa in Deum ; consequenter peccatum grave non involvunt : siquidem ad locutionem blasphemiam juxta D. Thomam 2. 2. Q. 53. art. 1. requiritur, ut fiat ex pravo cordis affectu de excellentia Dei, & sic illi contumeliam inferat vel negando aliquid, quod ipsi proprium est, vel aliquid imponendo, quod ei minimè convenit. Hoc autem in posito casu minimè contingit ; cum talis similia verba mente Deum inhonorandi non proferat, sed potius honestum finem habeat : nec ipsa

ipsa verba contumeliam , ac specialem in Deum irreverentiam contineant , sed potius ipsam veritatem ; cùm utique verum sit , quòd dentur Sacra menta , Christma , & Baptismus Dei , seu à Deo instituta . Hoc tamen limitandum est I. Nisi detur scandalum audientibus , & rem non intelligentibus , sed potius non tam similia verba , quàm veras blasphemias proferendo imitantibus . Limitandum II. Nisi talia proferantur ex intentione & voluntate Deum inhonorandi . Limitandum III. Nisi talibus terminis addatur aliquid , quod additum nequit sine contumelia ac inhonoratione Divina ; ut v. g. dicendo : *Tonitruj Sacra menta , fulguris , sanguinis , mille , centum Sacra menta :* quia talis consuetudo , nisi deponatur , semper est graviter peccaminosa , utpote in verba Deo contumeliosa , atque falsa inclinans . Limitandum IV. Si per talia verba ex consuetudine prolata aliquis advertat , se paulatim assuefieri ad veras ac formales blasphemias ; ut illi faciunt , qui ab initio ex consuetudine proferunt talia v. g. Dei centum millia saphrament , sacra , &c. successivè verò erumpunt in Sacra menta , & quidem ex pravo affectu , ac mala intentione : de tali enim consuetudine discendum est , sicut de alijs peccaminosis .

23. Resp. III. Inveterata similiter consuetudo jurandi & peierandi invenitur in multis , præcipue verò in lanionibus , mercatoribus , aliisque ementibus ac vendentibus , dum passim vel assertoriè , vel execratoriè jurant , imò peierant , rem

tanti, aut tanti valere, vel non valere; tanti, vel
 tanti debuisse emere; non posse tali pretio emere,
 vel vendere &c. De talibus tamen consuetudini-
 bus non est æqualiter discurrendum: nam consue-
 tudo jurandi sine necessitate vel utilitate, cum ve-
 ritate tamen, & sufficiente advertentia, nec de se
 est peccatum grave, nec constituit hominem in
 statu peccati mortalis, sed venialis tantum, etiam si
 voluntariè retineatur. Ita Filliucius, Sporer, &
 alij. Ratio est: cùm enim habitus, qualis est ista
 consuetudo, totam suam malitiam desumat ex
 actibus, ex quibus generatur, & ad quos inclinat,
 nequit habere majorem malitiam, quàm ipsius
 actus habent: cùm ergo ipsi actus jurandi etiam si-
 ne causa rationabili, cum veritate tamen, sint so-
 lùm peccata venialia, utpote gravem injuriam Deo
 non inferentia, eò ipso, quòd in illis non absit ve-
 ritas, nec fiant cum morali periculo perjurij; quia
 in singulis actibus supponitur intercedere moralis
 diligentia in consuetudinario ad evitandum perju-
 rium sufficiens: consequenter etiam habitus &
 consuetudo ita jurandi, ex illis actibus generata,
 atque ad tales inclinans, constituet consuetudina-
 rum tantum in statu peccati venialis, & non mor-
 talis. Si tamen consuetudinarius rationabile pe-
 riculum paulatim peierandi prævideret, & tamen
 pergeret sic jurando, peccaret graviter non emen-
 dando talem consuetudinem; sic enim velle præ-
 sumeretur illa perjuria subsecutura saltem in sua
 causa, nempe in consuetudine, quam tollere & ex-
 tirpare non conatur. Hinc ulterius

24. Resp. IV. Consuetudo voluntariè ac culpabiliter retenta indiscriminatim jurandi sive verum, sive falsum, constituit consuetudinarium in perpetuo statu peccati mortalis omissionis, si dictam consuetudinem non deponat, aut saltem ad eam deponendam, ac emendandam conatuū non adhibeat. Ita Sanchez, & Layman cum communi DD. Ratio est: quia omnis ille, qui se voluntariè constituit, aut manet in periculo proximo peccati mortalis, peccat mortaliter: sed talis voluntariè, ac culpabiliter retinens, aut extirpare omittens dictam consuetudinem, ac vi illius ita indiscriminatim verum vel falsum jurans, voluntariè se constituit, & remanet in proximo periculo peccati mortalis, nempe perjuriorum ac juramentorum falsorum; ut per se manifestum est: consequenter est in perpetuo statu peccati mortalis, usque dum talem consuetudinem deponat, aut saltem emendare satagat. Multò magis, & à fortiori hoc dicendum erit de consuetudine semper peierandi, & falsum jurandi. Dictum fuit notanter, si talem consuetudinem saltem emendare non satagat; nam consuetudo inculpabiliter retenta quomodo cunque jurandi vel peierandi, videlicet jam revocata per pœnitentiam, efficax emendationis propositum, quando insuper consuetudinarius pœnitens seriam ac constantem adhibet diligentiam, talem consuetudinem radicitus cvellendi, interim tamen, quia est penitus inveterata, & quasi naturata, eam longo tempore extirpare nequit, sed

potius in novos, ac novos indiscriminatim verum vel falsum jurandi, vel omnino peierandi actus producendos inclinat, non amplius consuetudinarium pœnitentem in statu peccati mortalis constituit; cum non amplius sit verè voluntaria.

25. Resp. V. Non minùs infecti tunt, & quidem non pauci inveterata illa consuetudine convitiandi, imprecandi, & maledicendi, tam sibi, quam alijs. Tales consuetudinarij à potiori sunt Parentes, Patres- & Matresfamilias, Officiales, maximè militares &c. hi sanè non raro crebris convitijs, maledictis, & imprecationibus in se, libero, servitiales, subditos, milites &c. fulminatis tam pertinacem, ac difficulter mobilem habitum, atque pessimam contrahunt consuetudinem, quæ Deo summè exosa, alijs onerosa, præjudiciosa, ac offensiva, & sibimet ipsis omnino est nociva. Ideoque, si præcedentes consuetudinarij, stante sua consuetudine voluntaria atque culpabili, manent in continuo statu peccati mortalis, si dicto modo eam expellere non laborent; hoc quoque pariter ob easdem prorsus rationes applicari debet hisce in convitiando, maledicendo, atque imprecando consuetudinarijs. Ex quibus breviter enumeratis consuetudinibus pravis crebrioribus cæteræ quoque ponderari, ac mensurari faciliter poterunt.

26. Quæritur VI. Quinam actus ex inveterata consuetudine producti sint graviter peccaminosi? Ante responsionem Notandum est primò, & supponi-

ponitur ex dictis, quod consuetudo in homine consuetudinario remanens alia sit culpabilis; quatenus consuetudinarius nullum, vel saltem non sufficientem, atque efficacem ad eam expellendam adhibet conatum, & sic retinet. Alia inculpabilis; quatenus consuetudinarius adhibita debita diligentia consuetudinem extirpare quidem conatur; sed hic & nunc saltem totaliter vincere nequit. Notandum II. quod actus ex consuetudine positus dividatur in illum, qui vi habitus pravi omnino indeliberatè, & naturali quasi impetu ponitur; sic dantur non pauci, qui exorto quolibet iracundiæ motu præoccupati continuò in horrendas erumpunt blasphemias ex contracta & inveterata consuetudine blasphemandi, antequam advertant, aut considerent malitiam actus. Et in illum, qui vi habitus pravi naturali quasi impetu non tamen omnino indeliberatè, sed cum aliquali saltem advertentia, & deliberatione imperfecta fit. Modò ad propositam quæstionem ratione actuū, qui mediante consuetudine inculpabili producuntur:

27. Resp. I. Omnes illi actus ex consuetudine inculpabili provenientes, qui tamen voluntariè & cum advertentia ad peccatum mortale sufficiente eliciuntur, semper sunt graviter peccaminosi. Ita communiter DD. Ratio de se patet: quia tales actus habent omnia ad peccatum mortale requisita; nempe ex parte intellectus sufficientem advertentiam, ex parte voluntatis perfectum consen-

sum, & ex parte objecti materia gravitatem. Quod autem mediante consuetudine eliciantur, per hoc non tollitur ratio plena advertentiæ, & ratio voluntarij, uti hic supponitur; immo voluntas magis facilitatur & inclinatur per talem consuetudinem, ut in istos actus peccaminosos promptius exeat; quemadmodum & alij habitus non dantur ad simpliciter, sed ad facilius operandum.

28. Infertur. Non raro contingit, quod consuetudinarij, praesertim in re lubrica, v. g. molitie, non tantum sincerum dolorem, ac firmum emendationis propositum habuerint, verum etiam sufficientem diligentiam, atque competentia media se consuetudine sua exonerandi adhibuerint; postmodum tamen ista consuetudine antiqua, nondum totaliter extincta, inclinantem, partim cooperante ipsa natura, per frequentatos actus ad tales turpitudines sic assuefactam, in priora peccata labantur (quod pariter de alijs consuetudinarijs, ac consuetudinibus pravis verificari potest) hos tamen nullus excusabit a reatu culpa mortalis; quia per hoc non tollitur ratio voluntarij, atque consensus ad peccatum mortale sufficientis. Nec juvat, quod opere perpetrato immediate doleant, ac detestenior peccatum: siquidem subsequens horror, ac erubescencia quasi naturalis, praesertim dictæ turpitudinis, amplius tollere nequit prius voluntarium, ac consensum in peccatum.

29. Resp. II. Omnes illi actus ex consuetudi-

ne inculpabili provenientes, qui naturali quasi impetu absque advertentia vera, ac deliberatione eliciuntur, graviter peccaminosi non sunt, quamvis alias de se tales essent. Ita rursus communiter DD. Ratio est: quia non sunt sufficienter, ac verè voluntatij neque in se, & directè, ut supponitur; neque indirectè, ac in sua causa, seu in consuetudine, utpote iam revocata, ac involuntaria facti. Hinc non placet quoad hoc doctrina La Croix lib. 6. part. 2. de Confess. dicentis, quod talia peccata ex consuetudine producta raro fiant sine ulla advertentia malitiæ; aderit enim communiter advertentia saltem virtualis, sive tenuis, & quasi imperceptibilis; quæ, sicuti sufficit ad actu bene operandum, ita etiam sufficit ad actu male operandum, seu ad peccandum. Non placet, inquam, hæc doctrina, si intelligat de actibus graviter peccaminosis, quemadmodum intelligere videtur. Siquidem ad constituendum peccatum mortale juxta omnes non sufficit talis advertentia tenuis, & quasi imperceptibilis, & ad sumimum constituens peccatum veniale; sed requiritur plena advertentia. Nec etiam sufficit plena advertentia tantum de causa talium peccatorum, scilicet de consuetudine; quia, ut dictum est, ista non amplius est voluntaria. Dicitur tamen notanter, *non sunt graviter peccaminosi &c.* Siquidem possunt esse saltem peccata venialia ob aliqualem advertentiam, & rationem voluntatis.

30. Resp. III. Omnes illi actus ex consuetudine culpabili provenientes, sive fiant cum advertentia, sive non, semper sunt graviter peccaminosi. Ita Cajetanus, Sotus, Suarez, & alij. Ratio primi de se patet; quia tali modo omnia iterum ad sunt, quae ad constituendum peccatum mortale requiruntur. Ratio secundi (ubi multi Authores numerantur contrarij) prima est: quia omnis effactus peccaminosus indirecte, ac in sua causa voluntarius imputatur ad culpam: cum ergo illi actus, v. g. blasphemiae, perjuria &c. ex consuetudine culpabili provenientes sint voluntarij in sua causa, utpote quam consuetudinarius voluntarie ponit, vel saltem retinet, scilicet consuetudinem, ut supponitur; unde rationabiliter prævidere potest ac debet, moraliter certò secuturos fore tales effactus; consequenter imputantur eidem ad culpam. Ratio 2. da est. Si tales actus, v. g. blasphemiae, inadvertenter facti, non essent peccaminosi, ideo foret, quia non essent in se, sed tantum in sua causa, seu in consuetudine voluntarij (ut discurret Mastrius in sua Theol. Moral. cum multis alijs) hæc ratio verò non convincit: quamvis enim sint solummodo voluntarij in sua causa, seu non habeant rationem voluntarij in se, participant tamen illam à sua causa, ex qua sequuntur; quæ ratio voluntarij indirecti sufficit ad hoc, quod tales actus in se sint verè peccaminosi. Magna enim inter ista duo notatur differentia, nempe aliquem actum esse in se voluntarium, & aliquem actum esse in se peccatum.

peccatum. Primum quidem dicti actus non habent; bene vero secundum. Quod istud autem non gratis, ac sine fundamento fingatur, evidenter & ad oculum probatur a pari in blasphemis, fornicationibus &c. in ebrietate factis, & ante ebrietatem praevisis: siquidem isti actus sunt quidem tantum voluntarij in sua causa, nempe in ebrietate, quam aliquis voluntarie ponit, praeviens talia peccata secutura ad illam; non tamen sunt voluntarij in se, cum ponens tales actus prout, quando actualiter fiunt, non sit sibi praesens, utpote plene ebrius, & sic modo humano operari nequeat: hoc tamen non obstante sunt actus de se peccaminosi, propriam ac distinctam malitiam ab ebrietate tanquam sua causa habentes; sub qua etiam in Confessionali explicari debent. Ita quoque pariter in nostro proposito est discurrendum de actibus, v.g. blasphemis, ex consuetudine inadvertenter productis, interim tamen indirecte ac in sua causa voluntarijs.

31. Infertur I. Et ex dictis pater, quod doctrina Mastrij, pro se etiam Sanchez in Decalog. & alios citantis, acceptari nequeat, dum in Theol. Moral. disp. 11. Q. 3. ita loquitur: Ut aliquis actus in se denominetur peccaminosus, debet esse in se voluntarius; non enim est peccatum, nisi voluntarium, & sicut est voluntarium, ita est peccatum: sed blasphemia v.g. absque advertentia proleta, non est in se voluntaria: ergo non est in se novum peccatum, sed tantum in causa; ut pater

à simili in peccatis ebriorum, ante ebrietatem prævisis, quæ, dum fiunt, novam malitiam in se non habent, sed tota malitia est in causa: unde talia peccata non sunt necessariò in Confessione explicanda: cùm enim non sint in se voluntaria, sed tantùm in causa, opus non est, illa exprimere; sed sufficit, ut exprimatur causa, in qua sunt volita. Contra est: nam in duobus hæc doctrina peccare videtur; in primis verum non est, quòd omnis actus, ut dicatur peccaminosus, debeat esse in se voluntarius; cùm sufficiat, quòd sit voluntarius in sua causa, saltem efficaciter non retractata; ut dictum est: sicut enim actus externus verè propriā ac distinctam habet malitiam (præsertim juxta Scholam Scotisticam) quamvis non habeat propriam libertatem, ac rationem voluntarij, sed eam solummodo participet ab actu interno: ita peccata in sua causa voluntaria, ut etiam illa sunt, quæ ex consuetudine culpabili proveniunt, adhuc erunt peccata distincta, seu malitiam habentia à malitia suæ causæ distinctam; quamvis non habeant propriā rationem voluntarij, sed solummodo participatam à ratione voluntarij suæ causæ. Secundò negatur, quòd necesse non sit, peccata in sua causa tantùm voluntaria explicare in Confessione secundùm se; sed quòd sufficiat exprimere causam, in qua sunt volita: siquidem communis est doctrina Theologorum, quòd pœnitens non tantùm confiteri teneatur ebrietatem v. g. in se voluntariam, sed insuper omnia alia peccata in sua

pro-

propria specie , quæ ante ebrietatem ut securita
prævidebantur , vel saltem prævideri poterant , &
postmodum in actuali ebrietate commissa sunt :
hinc non sufficit ita se accusare , studio me inebria-
vi , cùm tamen præviderim plurima peccata ex
illa esse securita ; sed debet ita se accusare : studio
me inebriavi , & in ebrietate commisi tot vel tot
fornicationes , blasphemias &c. quas prævidi ex
ebrietate securitas : cùm ergo juxta dicta sit ea-
dem ratio & paritas de actibus ex consuetudine
culpabili positis ac prævisis , consequenter & isti
in se sunt peccaminosi , ac in sua propria specie cla-
vibus Ecclesiæ subiiciendi , licet non habeant pro-
priam rationem voluntarij.

32. Infertur II. Multò minus audiendus est Di-
castillo de Jurament. & La Croix asserentes , tales
actus v. g. blasphemias , inadvertenter elicitos non
esse peccaminosos ; quamvis consuetudo , unde
proveniunt , omnino non sit retractata , quia non
sunt voluntarij neque in se , ut supponitur , neque
in sua causa : ista enim consuetudo non est quid
voluntarium , quod pœnitens debeat aut possit sta-
tim à se depellere ; sed est habitus naturalis , ne-
cessariò relictus ab actibus , qui abiici nequit etiam
ab homine volente & retractante. Contra est , &
negatur , quod tales actus in se indeliberati , v. g.
blasphemiae , non sint voluntarij in sua causa ; quia
illud dicitur voluntarium in sua causa , seu virtuale
juxta Reiffenstuel in sua Theol. Moral. dist. I.
Q. i. & commun. DD. quod non in se , sed
solùm

solum in alio , tanquam in sua causa cuiquam est voluntarium , in quantum voluntas , et si non intendat effectum , vult tamen causam illius ; unde & hic saltem virtualiter , seu in sua causa voluntarius esse censetur : cum ergo praedicti actus ita se habeant , ut evidens est ; quamvis enim consuetudinarius non intendat v. g. blasphemias , vult tamen causam illarum , nempe consuetudinem blasphemandi ; ex qua moraliter certò , quacunque data occasione , sequuntur blasphemiae , ac insuper istam consuetudinem retinet , & emendare non satagit : consequenter isti actus ex consuetudine provenientes , etiam inadvertenter positi , saltem virtualiter , seu in sua causa voluntarij esse censentur . Negatur quoque , quod talis consuetudo non sit quid voluntarium , quod penitens statim possit ac debeat deponere , vel saltem conatum adhibere , ut emendet ; superius enim contrariu jam probatum fuerat . Nec dicat Dicastillo i. mò , quod ista consuetudo sit habitus naturalis , necessario relictus ab actibus , qui nequit abijci ab homine volente & retractante : nam , dummodo consuetudinarius vellet seriam ac efficacem admoveare manum , competentem diligentiam atque conatum adhibere , se ipsum vincere &c. procul dubio , adjuvante praesertim divina gratia , emendare ac deponere posset . At verò , quia piger vult , & non vult , ideo mirum non est , quod non possit , seu potius non velit , pravam suam tollere consuetudinem . Et quamvis non statim totaliter ac radicitus

citùs eam extirpare valeat : hoc tamen neutiquam obest ; dummodo efficaciter ac sincerè candem depellere conetur. Imò , si post talem conatum adhibitum adhuc inadvertenter sequantur tales actus , v.g. blasphemiae , tunc libenter conceditur , quemadmodum & superiùs jam concessum fuerat , quòd neutiquam sint formaliter peccaminosi , neque in se , neque in sua causa ; quæ non ampliùs ut voluntaria ac culpabilis adest. Nec dicat Dicastillo 2.dò , consuetudinem non videri semper esse causam , vel occasionem proximam peccandi (intellige) intrinsecam ; nam quandoque etiam fortiùs inclinat ipsamet complexio naturalis , ac concupiscentia ex peccato originali orta ; non tamen istæ necessariò debent positivè expelli , aut retractari , sed satis est , habere propositum , se continendi à peccatis , ad quæ inclinant. Sic pariformiter discurrendum erit de consuetudine. Ista instantia sanè non impugnat positam doctrinam , sed potiùs est extra , & contra suppositum : quia quæstio movetur de tali consuetudine , quæ est causa proxima , non autem remota peccandi. Et licet etiam complexio naturalis , ac concupiscentia ex peccato originali orta multoties aliquid contribuat ad ponendos actus peccaminosos ; hoc tamen nil obstat , quin dicta consuetudo sit adhuc vera causa proxima. Ideoque magna differentia intercedit inter complexionem naturalem , nec non concupiscentiam ex peccato originali ortam , ac inter consuetudinem peccandi ; quia

quia illæ refrænari quidem, non tamen expelli possunt, atque debent; cùm hoc omnino impossibile sit: hæc verò non tantum refrænari, sed omnino emendari, atque totaliter, quamvis non semper continuò ob maximas difficultates, & fragilitatem humanam, saltem successivè tolli potest, ac debet.

33. Infertur III. Neque satès tuta pro Confessionali videtur esse doctrina Joannis Euphratis in sua Cynosura Neo-Confessoriorum part. 2. punct. 15. de consuetudinarijs absolvendis, dum ait, quod perjuria (eadem quoque est ratio de alijs similibus actibus ex consuetudine provenientibus) inadvertenter elicita ex pravo peierandi habitu ab eo etiam pœnitente, qui cognita obligatione praedicta consuetudinem deponendi ac emendandi, licet efficaciter proposuerit, negligens tamen fuit in extirpanda illa, & aptandis medijs, non impunitut ad culpam mortalem, si pro tunc actualiter, aut virtualiter, dum perjuria protulit, ad consuetudinem ac obligationem extirpandi illam non advertit; sed solummodo ad culpam imputabitur prior negligentia ad illam propellendam. Ratios dat: quia in praedictis circumstantijs consuetudo non moralis, sed quasi naturalis in actus ex se pravos influit per influxum non liberum, sed quasi necessarium; cùm non sit ob defectum actualis vel virtualis advertentiæ volita, & moraliter conjuncta cum illis actibus. Contra enim est, & negatur, quod ista non sint formalia, sed tantum

tum materialia perjuria, cum adhuc procedant à consuetudine voluntaria & culpabili, eò ipso, quod consuetudinarius negligens fuerit, ac nullum conatum adhibuerit ad illam propellendam, aut emendandam; cum tamen suam obligationem agnoverit. Nec sufficit, quod efficaciter proposuerit illam extirpare, quia propositum efficax esse nequit, sed potius inefficax reputari debet, ubi negliguntur media, ad illud consequendum necessaria, de quo acquirendo propositum factum fuerat. Ideoque, cum ista consuetudo non sit mere naturalis, sed moralis, seu verè adhuc volita, moraliter erit conjuncta cum illis actibus, v. g. perjurijs, ut vera causa illorum; consequenter ista perjuria erunt voluntaria in sua causa, & sic peccaminosa.

34. Infertur IV. Et pro praxi advertendum, quando pœnitentes, præsertim plebei, in rebus catecheticis ad conscientiam & Confessionale spectantibus non adeo bene instructi, se accusant, quod v. g. saepius blasphemaverint, Confessarius non statim acquiescat, sed 1. mō quærat, quomodo, vel quibus verbis blasphemaverint: nam tales homines plebei à potiori, docente experientia, confundere solent blasphemias, imprecations, maledicta, convitia, imò & agnomina turpia; si ergo non fuerint blasphemiae, instruat saltem secundūm capacitatem illorum, quomodo imposterum melius explicit, ne Confessarius in suo judicio decipiatur. 2. dō, si deprehendit, quod

fuerint veræ blasphemiarum, interroget, utrum ex subito motu iræ, an verò deliberatè, ac voluntariè protulerint, & ex qua intentione, utrum nimis ex maligno affectu in Deum, vel in creaturas, aut intervenierit alia gravis circumstantia explicanda, v. g. desperationis, scandali, maximè apud parentes, à quibus liberi non raro citius & facilius blasphemare, quam orare addiscunt? 3. tiò, An non tantum ex ira, sed etiam ex mala consuetudine jam contracta in blasphemias eruperint? 4. tiò, Utrum studuerint talem consuetudinem emendare, atque extirpare? & sic partim secundum dicta, partim juxta qualitates blasphemiarum, de quibus in materia supra Decalogum tractatur, judicare poterit, an, vel qualiter peccaverint; an habeant consuetudinem culpabilem, vel inculpabilem; an de consuetudine ista voluntariè contraria, aut saltem seriò non emenda in Confessione se accusaverint, nec ne; an denique actuales istæ blasphemiarum provenerint ex consuetudine culpabili, vel inculpabili, deliberatè, vel indeliberatè. Et sic proportionaliter erga alios quoque consuetudinarios Confessarius se gerere debet, si opus fuerit examinare, præcipue tales, qui se quoad debitam ac necessariam peccatorum explicationem adjuvare vel nequeunt, vel nolunt.

35. Quæritur VII. An, & quando consuetudinarius Confessario interroganti suam consuetudinem peccandi in Confessione explicare teneatur? Resp. Aperienda est peccandi consuetudo, si

Con-

Confessarius de carationabiliter interrogat. Ita defacto communiter Theologi. Constat hoc partim ex Decreto Innocentij XI. in quo Propositio ordine 58. damnatur, sic sonans: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Partim ex ratione: quia Confessarius respectu pœnitentis non tantum agit personam Judicis, sed etiam Medici spiritualis: ut Judex ergo habet jus cognoscendi de statu pœnitentis, consequenter etiam jus interrogandi, quando rationabiliter dubitat, utrum pœnitens peccata sua serio emendare proponat, nec ne; item, an non forte gerat adhuc voluntatem formalem, vel saltem virtualem retinendi consuetudinem, præsertim se polluendi, detrahendi, blasphemandi, &c. qualia peccata confitetur: quæ utique, & similia redde rent Sacramentum Pœnitentiæ invalidum, & Confessarius tribuendo absolutionem magnam eidem inferret injuriam, atque sacrilegium committeret. Ideoque, stante tali prudente ac rationabili dubio, Confessarius potest, imò debet interrogare de consuetudine, consequenter & pœnitens fateri. Ut Medicus verò spiritualis, eò ipso, quod teneatur pœnitenti consulere, atque præscribere ea remedia, ac media, quæ conducunt ad emendationem vitæ in futurum, præsertim pro tollenda consuetudine inveterata, habet jus cognoscendi, & interrogandi de periculo animæ consuetudinarij morbo, seu de consuetudine peccandi. Nam & hoc expressè præcipit Innocentius III. in Con-

cil. Gen. Lateran. ubi habetur cap. *Omnis utriusque sexus. de Pœnit. & remiss.* hisce verbis: *Sacerdos autem sit discretus, & cautus, ut more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, & cujusmodi remedia adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum agratum.* Ex quo

36. Infertur I. Dictum fuit notanter, si Confessarius rationabiliter interroget &c. quia peccat Confessarius (ut recte notat La Croix lib. 6. part. 2. dub. 3. de Confess.) quando sine ulla necessitate, ac rationabili causa, vel ex mera curiositate indaget: neque pœnitens tali modo respondere tenebitur; quamvis hoc non facilè sine evidente quasi ratione pœnitens de Confessario judicet, præsumat, & sic consuetudinem suam reticeat. Multò minus Confessarius debet ad singula peccata inquirere, *fecisti ne hoc sapius?* meritò enim tunc judicaretur ex curiositate inquirere. Imò si pœnitens tunc teneretur semper respōdere, possit Confessarius quandoque totam ejus vitam explorare: quod nimis durum esset, ac Confessionem redideret odiosam. Discreta ergo Confessarij prudentia, & prudens discretio ponderabit, quandonam talis investigatio consuetudinis peccandi necessaria sit, vel utilis.

37. Infertur II. In praxi neutiquam admittenda est illorum sententia, qui ratione consuetudinis fatend-

fatendæ faciunt aliquod discrimen inter virum doctum, & non doctum. Ideoque concedunt, hominibus plebeis & indoctis inesse obligationem fatendi consuetudinem peccandi, si à Confessario interrogentur; hominibus vero doctis, si certò cognoscant, se non indigere directione Confessarij, non inesse talem obligationem. Nam contra est: ut Confessarius exploret, quale pœnitentis sit propositum, nec non ejusdem firmitatem sibi prudenter persuadeat, nil prodest, quod pœnitens ut vir doctus, sciat, se esse bene dispositum, & non indigere directione Confessarij: sed omnino quoque requiritur, quod ipsem Confessarius id cognoscat per propriam notitiam, quam per suas interrogations haurire debet; siquidem ipse solus est judex, cui discernere ac dijudicare incumbit de causis ad judicium Sacramentale pertinentibus, ut sic legitimam sententiam absolvitoriam ferre valeat. Quare (ut bene discurrit Cardenas in sua Crisi Theologica) pœnitens à potiori, quamvis alias vir doctus sit, quando habet consuetudinem peccandi, v.g. se polluendi, blasphemandi, &c. absque dubio laborabit conscientiâ laxâ, ac facile sibi persuadefit, habere evidentiam de recta sua dispositione; cum fortasse interim in sua persuasione, ac judicio, per pravas inclinationes, infrænatas passiones, atque conniventem philautiam nimium obnubilato, decipiatur. Imò constat ex pluribus sententijs à sacra Sede damnatis, fuisse, & esse aliquos viros valde doctos, qui tamen admiserunt,

& adhuc admittunt opiniones improbables, conscientiam neutiquam securam reddentes. Non est ergo universaliter, ac indistinctè concedendum viro docto, quòd negare valeat responsionem Confessario de sua consuetudine rationabiliter interroganti. Hoc tamen illi concedi poterit, quòd, ubi viderit Confessarium inutiliter interrogare, nec non, quòd ipsemur urgentem habeat causam consuetudinem suam non manifestandi, cum debita reverentia, ac humilitate, utpote reus coram divino tribunali, Confessario ostendat, qua ratione non sit necesse, in hoc peculiari casu interrogare de consuetudine, similque ei satisfaciat de firmitate sui propositi. Et sic vel efficaciter ac sufficienter ostendit Confessario, non esse necessarium exponere consuetudinem; vel non ostendit? Si primum: ergo Confessarius acquiesceret, si aliàs vult prudenter procedere. Si secundum; ergo manifestare tenebitur consuetudinem; secùs Confessarius requisitam notitiam propriam non habebit, de necessaria dispositione pœnitentis. Et hoc non sine ratione dicitur; cùm filij hujus sacerdoti saepissimè prudentiores esse cupiant filiis lucis: quasi verò Sophisticis suis effugiis illum fallere possint, coram quo omnia sunt manifesta; ac sapientia hujus mundi stultitia reputatur.

38. Infertur III. Fundamenta huic doctrinæ contraria neutiquam convincunt; nam Primò: licet nemo teneatur directè, & per se bis confiteri idem peccatum; per accidens tamen, & ratione specia-

specialis circumstantiæ obligatio oriri poterit, peccatum aliquod denuo confitendi, quod jam semel, aut saepius in Confessione fuerat expositum, quatenus nempe alia sine hoc legitimè explicari nequeunt. Secundò: quamvis ubi pœnitens est rectè dispositus cum vero dolore de peccatis, ac proposito non peccandi de cætero (qualiter dispositus esse poterit, etiamsi consuetudinem non fateatur) Confessarius absolvere teneatur : nihilominus tamen non sufficit, pœnitentem esse rectè dispositum coram Deo , nisi etiam ipsi Confessarius absolutionem datus sufficien tem notitiam propriam habeat de tali legitima pœnitentis dispositio ne ; quam tamen habere non potest, nisi sciat statum & consuetudinem peccandi illius. 3. tiò. Debet quidem Confessarius fidē adhibere pœnitenti se habere contritionem, ac propositum non peccandi afferenti, quando adfunt tales circumstantiæ, signa ac motiva , ut illud prudenter credere valeat : solent tamen aliquoties tales concurrere circumstantiæ, in quibus Confessarius de legitima dispositione pœnitentis prudentissimè ac rationabiliter dubitat, vel dubitare potest. Et hæc de ipso statu, causis, radicibus, ac circumstantijs morbi, seu consuetudinis peccandi , quo consuetudinarius infectus periculosè decumbit, ac efficiaci indiget curâ. Modò ulterius ponitur

SECTIO II.

*De Remedijs, quæ Medicus spiritualis,
Confessarius, Recidivo consuetudine peccandi
infectedo, applicare potest, ac debet.*

39.

THeoria, ac notitia Medici circa morbi statum, causas, & qualitates parum, immo prorsus nil proderit, nisi in ipsa praxi congrua praescribere sciat medicamenta, sive deinde præservativa, sive conservativa, sive curativa. Bona, laudabilis, ac necessaria est scientia Confessarij, quâ ut judex reum secundum ipsius dispositiones examinare, de criminum gravitate judicare, atque imposita satisfactione sententiam absolvitoriam ferre possit. Bona, laudabilis, ac necessaria est prudentia Confessarij, quia ut Doctor ignoros instruat, errantes doceat, & repugnantes convincat. Attameri Confessarius non tantum Judex, & Doctor, sed insuper Medicus est, qui non per transeat ægrotum recidivum, ut *Levita*, *Lucæ* 10. quatenus solummodo videt à longè, *secus viam*, non tamen accedere audet ad curanda vulnera, aut imprudente infectionis metu, aut culpabili practicæ peritiæ defectu impeditus. Non prætereat ut *Sacerdos*, qui pravam quidem recidivi viam cognoscit, eumque per Confessionem Sacramentalē clamantem audit, nec non periculosa animæ vulnera suspicit; interim tamen summè periclitantem

tem

tem neglit : sed appropians alliget vulnera ejus ut verus Samaritanus, infundens oleum, & vinum, seu applicans media atque remedia, quibūs recidivus integrā restituatur sanitati. Priusquam autem ista remedia recidivo applicanda dentur ad manum, tam Medico spirituali, quām patienti ægroto quādam regulæ necessariō præscribendæ erunt, ut ille quidem feliciter sanare, & hic fru-
ctuosè curari queat. Igitur

40. Quæritur I. Quidnam tam ex parte recidi-
vi, quām Medici spiritualis, seu Confessarij, re-
quiratur, ut periculosus iste Recidivitatis morbus
radicitus curari possit? Resp. I. Ut Medicus spi-
ritualis, Confessarius, recidivum ad meliorem fru-
gem reducere valeat, proficuum, imò necessa-
rium erit, sequentes observare regulas.

41. Regula I. Ante omnia Confessarius præfi-
gat sibi finem supernaturalem, eripiendi nem-
pe, auxiliante divina gratia, animam pretiosissi-
mo sanguine Christi redemptam, ab extremo sa-
lutis æternæ periculo, seposito omni humano re-
spectu, ac motivo, personarum acceptatione, atque
proprio interesse.

42. Regula II. Allaboret Confessarius, ut in
pœnitente recidivo filialem in se confidentiam vel
causet, vel jam causatam confirmet; sic enim fiet,
ut sibi morbi gravitatem, atque animæ periculum
sincera mente indicanti non tantum fidem adhi-
beat, consilijs, & adhortationibus acquiescat, ve-
rum etiam medicamenta ac remedia, licet quan-

doque naturæ corruptæ ingrata , & aliqualiter amara, lubenti ac hilari acceptet animo, maximè cùm talia ex paterna sollicitudine erga suam salutem præcisè oriri videat. Difficilis sanè, imò nulla erit curatio , ubi fides & confidentia in Medicum deficit.

43. Regula III. Ut discretè, mansuetè, charitativè, atque animo verè compassivo recidivum tractet, sicut monet Doctor Gentium ad Galat. 6. *Si präoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis.* Hinc S. Isidorus lib. 5. de Summo Bono, ait: *Qui delinquentem superbo, aut odioso animo corrigit, non emendat, sed pervertit: quidquid enim protervus, vel indignans animus præulerit, objurgantis furor est, non dilectio corringtonis.* Ex quo patet, quòd pessimè errent illi Confessarij, qui aut indiscretò Zelô inflammati, aut immortificata passione, præcipue impatientiæ & iræ präoccupati, aut infundatis suspicionibus, & imprudentibus credulitatibus seducti, tales pœnitentes aliàs in malo jamjam inveteratos, & de sua salute vix non desperantes, duris, inurbanis, impatientibus, vel probrofis verbis invadunt, imò non raro desolatos, scandalizatos, & totaliter desperabundos repellunt, certò certius suo tempore strictissimam rationem reddituri Illi, qui mitis & humilis corde non vult mortem peccatoris, sed magis ut converratur, & vivat, qui in hunc mundum non venerat proprie justos, sed peccatores;

Si in causa sunt, quod tales aut omnino suam conversionem & confessionem negligent, in sua malitia desperabundè pergentes; aut imposterum sacrilegè confiteantur.

44. Regula IV. Ut non sit nimirum benignus, & indiscretè misericors, omnia dissimulando, de eradicanda, & emendanda consuetudine peccandi, de evitanda occasione proxima, de fugiendo formali periculo peccati, vel ex humano respectu, vel ex timiditate, vel ex negligentia non instruendo, adhortando, mandando, ubi hoc necesse fuerit; & sic præcisè crucē formando sine omni fructu spirituali, immò potius cum maxima Sacramenti Pœnitentiae irreverentia, & utinam! non cum pœnitentis, ac Confessarij æternæ salutis interitu, vel saltem periculo, passim pœnitentes dimittendo. Hoc non est sanare, sed occidere. Audiant hi nocivi Medici, vel magis animarum interfectores D. Thomam de Villanova Conc. Fer. 6. post Dom. 4. Quadrag. sumnum hoc malum ita deplorantem: *Quid Ecclesiam Dei hodie perdit, nisi Confessorum & Pastorum blandiens adulatio? leniens, demulcensque assentatio? qui, ne confitentem aliquantis per contristent, illum in sua nequitia manere permittunt. At, quanto melius esset, ad modicum contristare, quam æternū damna-*re. Studeant hi piè impij, & impiè pij Confessarij (uti vocat primū laudatus D. Thomas) alieno exemplō mature sapere, & quidem illo, quod doctrina & pietate insignis Paulus Segneri in suo ho-

mine Christiano refert de aliquo consuetudinario,
ac recidivo , non diu post mortem conjugi viduæ
se præsentem sistente: qui flammis undique cir-
cumdatus , & alterius humeris sustentatus sic lo-
qui incipiebat: scias , nos ambos supplicijs dam-
natos æternis ; me quidem , quod sæpius confessus
sim absque serio vitæ emendandæ proposito ;
Confessarium autem hunc , cuius humeris suspen-
tor , quod me , et si probè adverterit , de vita cor-
rigenda non cogitare , tamen à noxis liberum pro-
nuntiare continuò sit atus : atque his dictis vi-
deri desijt. Concludit præfatus Author : idcirco
si quisquam hoc è numero studuerit invenire
Confessarium ejusmodi nimiū in omnibus con-
niventem , certus esse poterit , quod in itinere
ad orcum non multū sit desatigandus , cùm talis
eò non suis pedibus iturus , sed alterius , scilicet Con-
fessarij humeris sit deportandus. Ideoque Medi-
cus spiritualis , Confessarius bene notet monitum
Gregorij Magni in Proleg. Pastor. part. 3. dicen-
tis: *Miscenda est lenitas cum severitate : facien-*
dum quoddam temperamentum ex utraque , ut
neque ex nulla asperitate exulcerentur aegri ; neque
nimia benignitate solvantur. Sit amor , sed non
emolliens ; sit rigor , sed non exasperans ; sit Zelus ,
sed non immoderatè sœviens ; sit pietas , sed non
plus , quam expeditat parcens.

45. Regula V. Non cuilibet recidivo idem re-
medium , & medicina spiritualis præscribenda , aut
applicanda erit : nam variae morborum atque per-
sonar

sonarum qualitates, & circumstantiae varia quoque curationum genera postulant. Aliter in malo pertinaces, ac inobedientes, aliter obedientes ac tractabiles; aliter ex mera malitia peccantes; aliter fragilitate humana errantes; aliter docti, aliter simplices, atquerudes sunt curandi: erga omnes autem appareat prudens discretio, & discreta prudentia Confessarij. Imò, si viderit, primis remedij morbum non esse depresso, alia atque alia rursus ex cogitet.

46. Regula VI. Non animo concidat Confessarius, si forsan speratus non continuò sequatur effectus, ac emendationem totalem in recidivo multo tempore non perspexerit. Ideoque nec magnitudine & gravitate morbi, nec inconstansia ac relapsu ægri terreatur; dummodo media ac remedia ab ipso præscripta applicet, ac emendationis conatum adhibeat. Ea namque est vitiorum natura, ut statim oriuntur, diutius verò evellantur, & non nisi membratim. Hinc firma in Deum fiducia atque spe fretus nunquam de recidivi salute desperet: frustra enim medicinam cogitat, qui illam à desperatione inchoat. Multò minus signis externis hoc, advertente ægroto, manifestet; alias non tantum emendationem neutinquam promovebit, sed totaliter impediet. Denique hæc advertat Confessarius, ne statim ab initio, unò vel alterò peccatò auditò, increpet pœnitentem, sed potius dissimulet ad Confessionis finem usque, & tunc, si increpandum, discretè increpet;

erepet; si corrigendum, corrigat; si admonendum, admoneat, atque gravitatem peccati, sumumque animæ periculum aperiat.

47. Resp. II. Non minùs recidivo pœnitenti, ut sibi curatio spiritualis Medici ad salutem conducat, aliquot utiles, atque necessariò observandæ sunt regulæ. Ideoque

Regula I. Recidivus seriam gerat voluntatem se emendandi, consuetudinem pravam deponendi, vel occasionem proximam evitandi: ubi enim ista deficit, frustraneus erit Medici spiritualis labor, frustranea media ac remedia, frustranea curatio; desperata sanitas, atque salus.

48. Regula II. Recidivus specialem, ac verè filialem soveat confidentiam immutabilem erga Confessarium, séque ejusdem paternæ curæ tota-liter committat, firmiter credens, illum nil aliud optare, intendere, & quærere, quam æternam ipsius salutem. Non continuò terreatur qualibet difficultate, aliqualiter rigorosò procedendi modò Confessarij, ejusque vultu multoties non adeo sereno, cum non semper rideat Apollo. Non parum curationis speratum effectum facilitat confidencia vera in Medicum.

49. Regula III. Recidivus sincerè sua vulnera & animi morbum Confessario manifestet. Et sancte ut nihil difficilius est, etiā peritissimo Medico, quam ignoratas ægritudines, & ad quarum refectionem sive noxia verecundia, sive simulandi studio, sive pertinaci silendi obfirmatione obmutescit æger, appli-

applicare media: ita tali nil facilius, quam cognitas infirmitates, earumque causas ac radices de-
pellere. Idem evenit in animarum Medico, Con-
fessario.

50. Regula IV. Recidivus humiliter obediar Confessario, eundem non respiciens ut hominem, sed ut substitutum, ac locum tenentem ipsius DEI. Pœnitentem in Confessionali nimium sapere, est in rebus æternam salutem concernentibus desipere. Exiguum, immo nullum veræ emendationis signum est, si pœnitens per arrogantiam admoneri non ve-
lit, aut monitus perficaciter obmurmuret; si me-
dia suggesta & præscripta aut omnino respuat, aut
contemnat; si sanis Confessarij consilijs & do-
ctrinæ se se non accommodet, &c. In confessio-
nali omnes profectò paris sunt conditionis: ibi nul-
lus nobilis, nullus Doctor, nullus dives, sed qui-
libet subditus, atque reus coram divino tribunali,
in quo sedet Confessarius locò Dei.

51. Regula V. Recidivus remedia à Confessario præscripta efficaciter, ac omni possibili modo ap-
plicare studeat. Pharmaca à Medico præparata certè ægroto nil proderunt, si non adhibeantur, aut omnino abijciantur. Multi durante Confessio-
ne nescio, qualia faciunt proposita; & sic par-
turiunt montes: attamen diu durare nequeunt,
dum nullus serius se emendandi conatus adhibe-
tur, media præcripta non observantur, causæ
peccati non renoventur, occasionses peccandi
non evitantur, aut tales Confessarij studio inqui-
runtur,

runtur, qui vel morbi statum ignorant, vel nimia ac nociva benignitate omnia dissimulant, & sic recidivo fræna in antiqua ac contintiata scelera, consuetudines, & peccandi occasionses juxta ipsius pruritum relinquunt. Qui plura de similibus cupit, legat Authores de talibus materijs tractantes. Nos autem ad ipsa remedia, à Confessario recidivo prescribenda, pergamus. Et quia non pauci Doctores inter efficacissima curandi recidivi, præsertim consuetudine peccandi infecti, remedia numerant negationem, vel saltem dilationem absolutionis Sacramentalis. Hinc

52. Quæritur II. An consultum, utile, atque proficuum sit, recidivo consuetudine peccandi infecto, de cætero tamen rite disposito negare, vel saltem ad tempus differre absolutionem Sacramentalem? Ante responsionem supponitur tanquam indubitatum primò, negandam esse absolutionem consuetudinario, quando ex circumstantijs cognoscitur, illum non habere firmum propositum emendandi consuetudinem, atque à peccatis consuetis abstinenti: siquidem Confessarius illi pœnitenti absolutionem impendere nequit, quem cognoscit, non esse rite dispositum; cùm tali modo Sacramentum pœnitentiæ evidenti nullitati exponeret ob defectum dispositionis, ex parte suscipientis essentialiter ad hoc requisitæ. Idem ob eandem rationem dicendum, si Confessarius prudenter ac rationabiliter dubitet de dispositione pœnitentis; ut quando non tantum nullum prorsus se-

rium adhibet conatum, sed potius post plures repetitas Confessiones semper eandem peccati speciem, & quidem in eodem, imò majori afferit numero. Porrò non tantum ex hoc, sed etiam ex alijs signis talis indispositio facile colligi potest; ut dum pœnitens sua peccata, quasi aliquam historiam, aut novellas enarrat, nullo apparente indicio de tristitia ac dolore supernaturali: dū modestè ac discretè à Confessario admonetur, atque peccati gravitas, animæ periculum, & similia expoununtur, malè sentit, obmurmurat, verbis contumeliosis, vel saltem irreverentialibus, superbis, impœnitentibus, contemptivis, &c. Confessarium aggreditur. Talia utique vehementem suspicione, justam præsumptionem, imò moralem quasi certitudinem causare poterunt, nullam, aut saltem non sufficientem adesse dispositionem, nullum dolorem, nullum emendationis propositum, & congrua remedia applicandi intentionem: consequenter absolutionem denegandam, vel tamdiu differendam, usque dum redeat magis dispositus, mentéque humiliiori. Hinc merito à Sede Apostolica inter alias Propositiones sequens, ordine 60. est damnata: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, et si emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.*

53. Supponitur II. Pœnitenti consuetudinario
D posse

posse differri absolutionem Sacramentalem de consensu ejusdem; dum scilicet Confessarius, propositis rationibus & gravibus motivis, suaviter ac prudenter illi suadet, utilius esse, ut differatur absolution ad aliquod tempus pro majori & fortiori futuro emendationis motivo; nec non huic suasioni postmodum acquiescit pœnitens, utpote qui ex animo veram ac firmam vitæ emendationem imposterum desiderat. Supponitur 3. tiō, quod inter negationem & dilationem absolutionis Sacramentalis hoc intercedat discriminē, quatenus dilatio tempus à voluntate Confessarij determinatum ac dependens respicit, non quasi absolvendus esset verè indispositus, sed ob alias justas causas, puta ob illius bonum, ac utilitatem spiritualem hīc & nunc in futurum: negatio verò respicit tempus indeterminatum à Confessario, & determinabile à pœnitente per positionem medij, aut ablationem impedimenti, v. g. ablationis consuetudinis, vel alterius indispositionis: ad quod obstringitur; & sic talis negatio fit hīc & nunc verè indisposito. Modò quæstio, ac difficultas remanet de absolutione Sacramentali ipsi pœnitenti etiam rite disposito, quamvis invito & neutiquam consentienti, differenda. Quare

§ 4. Respondetur. Si Confessarius prudenter ac rationabiliter judicet, pœnitentem consuetudinum esse rite dispositum, nunquam eidem invito & non consentienti absolutionem Sacramentalem differre debet. Ita Suarez, Azorius, Reginaldus,

naldus, Stoz in suo Tribunal Pœnit. Sporer , & plures alij. Ratio est : quotiescumque enim pœnitens est capax absolutionis Sacramentalis , eidem invito sine injuria talis denegari nequit: sed pœnitens consuetudinarius rite dispositus , est ita capax ; ergo Confessarius illi invito sine injuria absolutionem denegare nequit. Patet in primis Maj. quia Confessarius & pœnitens sunt duo quasi correlativa ; sicut enim iste se subiicit clavibus Ecclesiæ , confitendo sua peccata cum vero dolore , nec non emendationis ac satisfactionis proposito ; ita ille eò ipso , quod talem subjectionem ac Confessionem acceptet , obligatur ad tribuendam sententiam absolucionis (ad quam recipiendam jus acquisivit) si reum capacem inveniat. Patet quoque min. nam supponitur , quod talis consuetudinarius omnia ad Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter ac necessariò requisita ponat , nempe sufficien-tem dolorem , cum firmo emendationis proposito , integrum confessionem , & debitam satisfactionem. Insuper Confessarius potest , imò debet absolvere pœnitentem toties , quoties labitur in nova , & nova peccata diversæ speciei mortalia , de quibus dolet cum vero emendationis proposito ; ergo tenetur quoque absolvere pœnitentem toties , quoties redit cum peccatis ejusdem speciei , supposito quoque vero dolore ac efficaci proposito. Ratio hujus paritatis pater: nam ideo in priori casu pœnitens toties , quoties potest ac debet absolviri , quia respectu cuiuslibet peccati supponitur

esse verè dispositus ad recipiendam absolutiōnem: cùm ergo etiam in secundo casu pœnitens est ita dispositus; consequenter eidem quoque toties, quoties absolutio danda erit. Nec dicas, quòd ex diuturna consuetudine vehemens remaneat proclivitas ac propensio ad peccatum; quod non sit in primo casu: nam talis proclivitas neque peccatum est, neque tollitur per dilationem absolutionis. Deinde, mi Confessarie! poterisne pœnitentis vitæ crastinum promittere diem? Si non, uti certum est, cur ergo vis ipsum exponere periculo æternæ damnationis, si ad interim moriatur in tali statu peccati mortalis, de quo ipsum non liberas, neque hic habet contritionem, sed solummodo attritionem; cùm tamen posses salvare sine injuria, ac periculo nullitatis Sacramenti? Melius ergo est, certum ambabūs manibūs apprehendere; quām cum Æsopi cane incertum unā cū certo simili amittere.

55. Nec obstat I. quòd Confessarius non tantum sit Judex, sed etiam Medicus spiritualis; consequenter adhibere debeat remedia ad vitandam recidivam: quale remedium inter alia est dilatio absolutionis Sacramentalis, partim ad ineutendum pœnitenti majorem, atque salutarem peccati horrorem; partim ad magis probandam, firmandamque ejusdem contra relapsum constantiam; partim ad concipiendum interea meliorem dolorem, ac solitō firmius propositum; partim ad illum disponendum, ut medijs sibi à Confessario suggestis

suggestis diligenter utatur. Et sanè experientia docuit, non paucos consuetudinarios hoc remedio ab inveterata peccandi consuetudine esse revocatos. Contra est, & negatur, quod dilatio absolutionis sit tale remedium utile, atque ad consequendos prædictos effectus conducens, præser-tim in pœnitente, qui à suis delictis absolvi petit, & si negetur, desolatus, ac perturbatus ex Confessionali discedit. In priinis enim Confessarius tali majorem, ac magis salubrem peccati horrorem in-cutiet, si ante datam absolutionem, modò tamen discretò, & energia spirituali, gravitatem, turpi-tudinem, atque ingentia damna peccati mortalis, sic continuò repetiti, efficaciter proponat. Deinde contra relapsum melior utique Medicina erit ipsa absolutionis, per quam confertur gratia sanctificans non tantum peccatorum remissiva, sed etiam speciales vires, atque auxilia ad evitanda imposte-rum peccata, maximè gravia, concomitanter ha-bens. Sic quoque ob dilatam absolutionem pœnitens neque meliorem dolorem, ac firmius eliciet propositum, neque diligenter præscripta applicabit remedia; sed potius perturbatus, ac male contentus contrarium faciet. Imò & ipsa expe-riencia quasi quotidiana nobis ante oculos ponit, quod dilatio absolutionis magis obsit, quam proficit.

56. Nec obest II. quod Confessarius nunquam habeat certitudinem de veritate ac firmitate propositi in eo pœnitente, qui longo tempore persi-

stit in consuetudine peccandi mortaliter. Imò semper adest suspicio de propositi defectu , cùm non videatur adesse aliquod speciale indicium de consuetudine derelicta : consequenter non rectè infertur , quòd gratia Sacramenti Pœnitentiæ maiores ad non peccandum conferat vires ; cùm forsan non sit validum Sacramentum : & sic salubrius erit , ut dispositio ad recipiendum hoc Sacramentum fiat securior , quàm ut cum suspicione nullitatisti buatur absolutio. Contra est , & singitur sanctè timor , ubi non est timor : in tali enim casu Confessarius sufficientem certitudinem moralem habet de pœnitentis dispositione ; alias absolutiō nem non tantum differre posset , sed omnino negare deberet. Ideoque hæc duo longissimè inter se differunt , quæ tamen multi confundunt , scilicet Confessarium , imò & pœnitentem , sibi persuadere , quòd emendatio non sit secutura ; & sibi persuadere , quòd pœnitens non habeat firmum emendationis propositum: Primum non requiriatur , ut possit ac debeat dari absolutio Sacramentalis , bene verò secundum. Nec Confessarij est , ut sibi certò persuadeat , aut judicet , fore , ut pœnitens in futurum abstineat à peccato ; cùm tanta sit hominum inconstantia , ut frequenter sitia , quantumvis alias firma , ac seria proposita iterum mutant ; sed ex parte Confessarij satè est , ut rationabiliter existimet pœnitentem habere hic & nunc verum ac sufficiens emendationis propositum. Ex quibus

57. Infertur I. Frequens relapsus in eadem peccata mortalia regulariter non semper est signum, quod in relabente deficiat verus dolor, ac emendationis propositum: alioquin quoties pœnitens relaberetur, toties obligaretur ad repetendas omnes priores confessiones, tanquam invalidas ob defectum propositi: quod tamen est contra praxin, & communem fidelium sensum. Ratio autem à priori est: quia relapsus est tantum signum, quod voluntas facta sit inconstans, ac jam immutata; quod facillimè fit, ut experimur: non tamen est signum deficientis propositi. Unde communiter dicunt DD. posse credulitatem relapsū stare cum firmitate propositi. Dixi, *regulariter*; quia alii circumstantiae concurrere possunt, ex quibus prudens Confessarius rationabiliter colligere, ac non inanem suspicionem, sed justam potius præsumptionem formare valet, quod talis recidivus neque nunc, neque prius habuerit verum emendationis propositum, sed solummodo simulatum, inefficax, atque ad Pœnitentiæ Sacramentum insufficiens: ut si pœnitens post tot, ac tales serias admonitiones, post tot confessiones non minuit, sed auget numerū in peccatis illis, in quibus committendis inveteratam habet consuetudinem; si nullum prorsus conatum, aut saltem non sufficiētem in tollenda consuetudine adhibuit; si media à Confessario præscripta aut omnino non, aut lutidè ac perfunctoriè applicavit: quæ utique urgentia indispositionis signa sunt. Limita tamen:

nisi pœnitens tam specialia in præsenti confessione exhibeat doloris ac emendationis signa , qualia antè nunquam dedit , quibus prior de mala ac insufficiente dispositione præsumptio meritò clidatur. An enim Vicarij ac Ministri severius agent , quam ipse Summus Pontifex , ac universalis omnium Judex , Christus Dominus ; qui verè contritos , & ad se denuo revertentes peccatores non septies , sed septuagies septies , millies , imò toties , quoties miserantibus ac paternis recipit brachijs . Certè , si Dominus Deus nobiscum ageret , quemadmodum aliqui Confessarij cum pœnitentibus ac peccatoribus , jam pridem ut Sodoma & Gomorrha facti fuissimus.

§ 8. Infertur II. Quamvis Confessarius ordinariè possit , ac debeat credere pœnitenti , se dolorem de peccatis ac propositum imposterum non peccandi habere afferenti ; utpote qui in hoc judicio tam personam Rei , quam Testis pro- & contra se testificantis agit : & nemo præsumitur salutis suæ ita esse immemor , ut , ubi querit culpæ remissionem , novam culpam admittere velit ; quam tamen admitteret , si exercitè percipiens , se non sincerè dolere , vel non firmiter proponere , hoc tamen affereret : nihilominus tamen , si prudens judicium , conjectura , ac fortior præsumptio in contrarium adsit , quantumvis dicat , se & dolorem , & propositum habere , non credendum est illi ; ut satjs indicant illa verba posteriora Propositionis damnatae , & suprà jam allegatae : *Dummodo*

ore proferat, se dolere, ac proponere emendationem: cum verba menti correspondere debeant. Ideoque dictæ Propositionis damnatio se non extendit ad casum, in quo Confessarius sibi prudenter persuadet, quod pœnitens verum habeat dolorem de peccatis, cum firmo emendationis proposito, sed tantum intelligenda est, quando pœnitens verbō tenus tantum affimat; quod tamen à parte rei non est.

59. Infertur III. Signa, ex quibus Confessarius colligere valet, quod pœnitens non tantum ore proferat, se dolere, ac proponere, sed etiam sincerè, ac in mente sic sentiat, ista prudenter reputari possunt; si præscripta media ac remedia contra relapsum sunt adhibita; si peccatorum numerus imminuitur; si pœnitens sibi saepius vim contra tentationes intulit; si occasiones relapsūs possibiliter devitavit; si novum dolorem etiam in signis externis manifestet, v. g. lacrymis, singulibus, suspirijs, &c. ita, ut Confessarius credere possit ac debeat, quod se verè ac seriò emendare velit (licet lacrymis, præsertim respectu sc̄eminarium, non semper credendum) si ex professo Confessarium accedat pro novis ac novis remedijis; si se offerat ad omnia studiosè adhibenda, quæ Confessarius præscriperit, ac priora neglecta emendanda &c.

60. Quæritur III. Quænam sint remedia generalia, quæ à Confessario universaliter omnibus recidivis tam consuetudinarijs, quam in proxima

occasione peccandi constitutis (de quibus in Se-
ctione sequenti) præscribi , & applicari poterunt?
Resp. 1.mum ac universale remedium est, humili-
ter & frequenter mente fiduciali petere à Bonita-
te Divina auxilium desuper, sine quo impossibile
est, recidivum de suis peccatis ac consuetudinibus
resurgere. 2.dò ,Frequenter confiteri ; & qui-
dem, si fieri poterit, continuò post relapsum. 3.tiò,
Eodem semper uti Confessario , ejusque consilia
ad amissim sequi ; unde transire ab uno ad alte-
rum Confessarium , de consuetudine vel occasio-
ne peccandi nondum informatum , forsitan in cu-
randis talibus recidivis nondum practicatum , vel
ex fine supernaturali nil corrigentem , omnia dissi-
mulantem , nulla remedia præscribentem , de dis-
positione , atque capacitate pœnitentis quo ad va-
lidè ac fructuosè recipiendum Pœnitentiæ Sacra-
mentum minimè sollicitum &c. utique pœniten-
tem suspectum reddit de vero dolore , de firmo
proposito , de medijs , quæ prior Confessarius præ-
scripsit , applicatis ; cum ægrotus à potiori decli-
nare cupiat Medicum , qui ulcus periculosum ape-
rit , infectam gangrænâ carnem absindit , & sic
radicitus ipsum curare intendit : illum econtra qua-
rat , qui mollientia ac placentia adhibet ; quamvis
postmodum necem inducant. Hinc à similibus
periculosè ægrotantibus , & tamen necessariam cu-
ram non admittentibus sæpiùs tales audiuntur can-
tilenæ , quas tanquam Olores jam jam moribundi
edunt: iste scrupulosus Confessarius me non absol-

vit; quid deinde? pergam ad alium quemcunque
deum, jam inventam aliquem, qui me sine ulla
difficultatione absolvet: quasi vero absolutiones
Sacramentales ad beneplacitum petentis venales
habeantur. 4.tò, Silegcre nōrit, unum, alterūmve
folium ex pio aliquo libello attentè legat, maximè
qui tractat de æternitate, de quatuor novissimis,
de gravitate & damnis peccati mortalis, de brevi-
tate vitæ humanae, &c. 5.tò, Fugere omnes oc-
casiones, personas, consortia, familiaritates, &
objecta quæcunque, ad illud peccatum inducīva,
cujus habet consuetudinem, vel relapsum. 6.tò.
Specialem erga Beatissimam Virginem, utpote
universale refugium peccatorum, devotionem in
se excitare; in ejusdem honorem quotidie aliquid
orando; in illius Festivitatibus confitendo; per
diem integrum maximè Sabbatinum, & alios ipsi
specialiter sacros, à talivitio inveterato abstinentendo.
7.mò, Nonnunquam Confessarius adhibere po-
terit remedium illud, quo S. Bernardus peccato-
rem quemdam à sua consuetudine abduxit; dum
huic suaserat, ut triduo in honorem Sanctissimæ
Trinitatis à familiari sibi abstineat vitio: quod cùm
fecisset, consuluit, ut alterum triduum in honorem
Christi pro se crucifixi adjiccat: quo iterum factò,
aliud triduum in amorem B. V. aliud in venera-
tionem S. Angeli Custodis, &c. persuasit; usque-
dum sine omni prorsus difficultate priùs tam fre-
quentato vitio penitus abstinuit, ac consuetudi-
nem penitus extirpavit. 8.vum, Denique univer-
sali

sale ac coimmane remedium est horror peccati mortalis, maximè per consuetudinem vel relapsum semper ac semper repetiti; quem peccator concipere debet partim ex consideratione gravissimæ offendæ divinæ; dum vili & abjecta creatura prot beneficijs creationis, conservationis, redemptionis, ad veram fidem, vel certum statum suæ vocationis, ac innumeris alijs ingratissima sumnum illud Bonum ac Majestatem, coram qua & ipsi cœli Principes contemnunt, gravissimè offendere, ac se rebellem exhibere non cessat. Partim ex consideratione ingentium bonorum, quæ quodlibet peccatum mortale aufert; dum nempe peccator privatur gratiâ divinâ, omnibus virtutibus, ac meritis præcedentibus, amicitiâ Dei, iure ad æternam beatitudinem, &c. Partim ex consideratione irreparabilium damnorum ex peccato mortali consurgentium; ut sunt, quod nobilissimam illam Sanctissimæ Triadis imaginem, suam nempe animam, ita deturpet, ut fiat monstrum infernale, inimicus Dei, & mancipium diaboli; quod conscientiam perpetuo remorsu, ac nunquam morituro inquietet; mortem æternam inferat; cœlo excludat; ignem inextinguibilem, ac pœnas sine fine durantes inducat; etiam plurima mala temporalia, ut morbos, pestilentiam, penuriam, famem, bella, &c. gignat, ut sic peccator non raro in causa sit, cur iratum Numen totum aliquod Regnum, totam Provinciam, totam civitatem, communiteatem, domum, &c. severissimè puniat.

Quis

Quis ergo hunc tot, imò omnium malorum originem, peccatum mortale, non horreat, fugiat, vel jam contractum omni possibili modo emendet, ac consuetudinem ejusdem funditus extirpet? Modò ad remedia particularia.

61. Quæritur IV. Quænam sint remedia particularia, à Confessario cuilibet recidivo consuetudinario in particulari considerato præscribenda, & applicanda? Resp. I. Remedia particularia consuetudinario mollitiei dedito conducunt sequentia: 1. mò Frequens confessio apud eundem Confessarium; ut num. præc. dictum est de Remedijs generalibus. Hoc tamen Confessarius insuper attendere habet, ne nimirum strictè talem pœnitentem obliget, ac præcipiat, ut sibi soli & semper confiteatur; sed tantum consulat: multò minus ægrè ferat, suam displicentiam signis etiam externis manifestando, aut pœnitenti suum confessionale prohibeat &c. quando ipsum non amplius accedit, ne detur occasio sacrilegijs; dum pœnitentes infirmi, præsertim in materia lubrica, sæpe erubescunt, quod denuo contra propositum, contra promissionem Deo & Confessario factam cum canibus redierint ad vomitum; & sic, ne severam reprehensionem, ac indiscretam Confessarij indignationem sustinere debeant, peccata reticent. 2. dò, Frequens sacratissimæ Eucharistiæ sumptio: hæc enim juxta Concilium Florentinum est habituum malorum debilitatio, ac vitiorum emanatio. Et licet Eucharistia sit quasi univ ersale con-

tra vitia pharmacum ; specialiter tamen libidinem cohibet & extinguit : siquidem teste Propheta Zacharia cap. 9. *Est frumentum electorum, & vi-*
num germinans Virgines : hinc , quò magis hostis infernalis cibi hujus spiritualis nauseam impudicis ingerit , eò ferventius ac frequenter spiritualis Medicus hujus usum suadeat , immò jubeat. 3.tò , Singularis devotio erga B.V. Immaculatam : quare Confessarius subinde ad proximam confessionem usque , pro pœnitentia injungere poterit unum vel alterum Ave Maria , singulis diebus in honorem Immaculatae Conceptionis recitandum : Probatum est. 4.tò , A Confessario permitti potest , ut talis consuetudinarius voveat ad tempus castitatem , v. g. ad septimanam. Dixi , *permitti potest* ; quia hoc non semper consultum esse videtur ; maximè respectu illorum , huic vitio nimium deditorum atque assuēfactorum ; ne alias peccata peccatis cumulentur. 5.tò , Quando urget tentatio , eliciatur seria cogitatio de præsentia non tantum Angeli Custodis , quem peccando summopercè contristatur , & suo tempore , utpote omnium illius actionum arbitrum , coram divino tribunali non ut defensorem , sed accusatorem habebit ; verùm etiam , & multò magis de præsentia ipsius divini severissimi Judicis , qui actualiter peccantem in eodem momento punire , & æternis cruciatibus tradere potest , quemadmodum non semel factum esse legitur , quòd tales peccatores divina vindicta in ipso flagranti deprehensoros puniverit. 6.tò , Fug-
 otij;

otij; quod est fons omnium malorum, præsertim
hujus vitij, & sic meritò pulvinar diaboli: semper
ergo honesta aliqua mentis vel corporis occupa-
tione præmunitum esse convenit, ne hosti ex
proprio armamentario arma & occasio se impu-
gnandi, atque vincendi præbeantur. 7. mō, De
manè, imploratâ Divinâ assistentiâ, firmum propo-
situm fiat de tali vitio non perpetrando. 8. vō,
Quia multi non intelligunt, vel saltem intelligere
nolunt, quænam sint Spiritūs, quia caro sunt; &
sic neutiquam ducuntur motivis spiritualibus ac su-
pernaturalibus, ut motiva saltem naturalia tales
moveant, & impellant ad eradicandum hoc vi-
tium, recogitent, unanimem Medicorum esse
sententiam, quòd ista spurcitia, ac lues etiam in
corpus humanum sœviat; quatenus frequenter ac
continuò repetita paulatim omnes totius corpo-
ris humani vires exhaustit, sensus tam internos,
quàm externos, maximè memoriam, visum &c.
debilitat ac destruit; varios affectus ac infirmita-
tes generat, uti est podagra, phtyfis, vertigo ca-
pitis, apoplexia &c. & denique mortem ipsam,
etiam non raro in juventutis flore, maturat. Alia
remedia prudentia Confessarij, usus, personæ ac
temporis circumstantiæ, principaliter vero gratia
Spiritū sancti ad curandam hanc mollitiei con-
suetudinem suggeret. Quòd si tamen nulla pror-
sus remedia præscripta, & applicata (quod ta-
men vix est credibile) prodeßent, suadeatur, si
persona soluta sit, atque ætas & conditio conce-
dat,

dat, matrimonium amplecti; melius est enim, juxta Apostolum, nubere quam ubi; ne alias status cælibatus, Clericatus, vel Religiosus tali onere, atque ove morbida gravetur.

62. Resp. II. Ad consuetudinem blasphemandi extirpandam sequentia media prodebet poterunt. 1. mō, Necessariò refrænari debent animi passiones, maximè ira; quo igne voluntas inflammat, & alias jam per consuetudinem habituata facilè in tales erumpit blasphemias. 2. dō, Cohabitatio linguae: si consuetudinarius talis commotionem animi impedire nequit, linguam saltem contineat, usque dum iracundia fervor desinat: non statim erupat in illud, quod judicium obnubilatum dictat; sed priùs se recolligat, an non magis expediat tacere, dissimulare, sermonem, & animum aliò vertere, &c. 3. tiò, Omni possibili modo declinari ac devitari debent illa objecta, personæ, negotia, occasions, &c. quæ à potiori, imò ferine semper causam blasphemandi præbent; uti potissimum sunt lusus, altercationes, & similia. 4. tò, Si talia nequeunt devitari, saltem iste consuetudinarius se præmunit confidentiâ in auxilium diuinum, item bona intentione, ac firmo proposito Deum blasphemando non offendendi. Certum est: si agricultæ, opifices, operarij &c. de manè bona intentione sua negotia, atque labores Domino Deo offerentes, pro illo die peterent gratiam & assistentiam Divinam: cuncta melius succederent, copiosa benedictione superna fruerentur,

tur, ac peccata gravia, præsertim blasphemias, facilius, imò penitus devitarent: quemadmodum è contrario, sicut sua negotia, labores, occupationes, &c. non humano, sed ferme brutaliter incipiunt, sic parùm fortunatè, piè, & inculpatè continuabunt, atque finient. 5.tò, Si talis consuetudinarius irâ præoccupatus actualiter in blasphemias jam erupit, dum advertit malitiam, continuò se recolligat, propositum suum in memoriā revocet, à Deo veniam petat, cùmque professa blasphemia laudet, atque benedicat. 6.tò, Assuecant tales consuetudinarij, præsertim Officiales militum, Patresfamilias, aurigæ, &c. alijs verbis emphafin, energiam, ac virtutem moveri habentibus, quibus milites, vel subditos ad iussa explenda excitant, aut ab aliqua re deterreant, quibus jumenta ad labores impellant, aut errantia corrigant. 7.mò, Curent tales adscribi alicui Confraternitati, in qua fit perpetua adoratio SS. Eucharistiae Sacramenti, partim, ut successivè consuetudinem Deum blasphemandi commutent in aliam, nempe eundem laudandi, ac benedicendi; partim, ut vel sic aliquo saltem modo in laude divina recompensent, quod blasphemando demebant; usque dum consuetudo totaliter extirpetur.

63. Resp. III. Ad pravam consuetudinem jurandi, ac peierandi emendandam congrua remedia esse videntur: 1.mò, Si assuecat consuetudinarius veritatem rei asserere, vel confirmare per

simplicem affirmationem , vel negationem , juxta
 mandatum Domini , Matth. 5. *Ego autem dico
 vobis , non jurare omnino &c.* sic sermo autem
 uester , est , est ; non , non : quod autem his abundans-
 tius est , à malo est . Neutiquam autem assuescat , ut
 multi faciunt , cuncta passim etiam ex levissima-
 imò nulla prorsus causa confirmare per testimo-
 nium divinum , v. g. Deus scit : Deus mihi restit-
 esto : quam verè Deus vivit : Deus non sit Deus .
 si hoc verum non sit , quod dico : per meam ani-
 mam : per meum juramentum , seu tam certum
 esto hoc dictum , ac si juratum sit , &c : Quamvis
 enim talia juramenta , ex consuetudine , cum ve-
 ritate ita prolati , de se , ac regulariter loquendo ,
 non sint peccata gravia juxta suprà dicta , sed tan-
 tum venialia ; possunt tamen quandoque esse
 mortalia propter consuetudinem ex illis geni-
 tam , ratione cuius taliter passim jurantes se expo-
 nunt periculo falsum jurandi , eò ipso , quòd indi-
 scriminatim sine omni necessitate , utilitate , ac ra-
 tionabili causa jurent . 2. dō , Sæpiùs , & attente
 recogitent tales consuetudinarij valde magnam fa-
 cere irreverentiam non tantum in perjurij , verùm
 etiam in juramentis passim prolatiis pro qualibet
 re , nullius etiam momenti , Deum pro teste invoca-
 re ; si enim vir alicujus autoritatis resentiret , si
 in minutis ac rebus frivolis rogaretur pro teste :
 quid dicendum de summa Majestate divina , in cu-
 jus conspectu omnes homines sunt , quasi non es-
 sent ? 3. tò , Recogitent , & tanquam indubitatum

habent

habeant, quod sibi sic jurantibus minus credatur, quam si veritatem simplieriter ac nudè assererent, eò ipso, quia jam sunt noti, quod juramenta sua venalia passim quasi habeant, non curantes, utrum verum, vel falsum sit, quod jurant; & sic ipsorum dicta flocci aestimantur. Novi virum sane honestum ac probum coram Deo & hominibus, qui laudabilem hanc, ac talibus in juramenta nimium effusis imitandam jurandi, vel potius sua dicta confirmandi consuetudinem habet, quatenus candidè dicit: *In nomine Domini, sic est: sic possum, vel non possum facere, emere, vel non emere, &c.* & tamen huic viro sincero plus fidei adhibetur, quam millenis juramentis talium passim, ac indiscriminatim jurantium. 4.ò, Denique altè menti suæ imprimant illud Ecclesiastici 23. *Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga.*

64. Resp. IV. Ad pravam consuetudinem imprecandi, convitiandi, & maledicendi curandam, sequentia applicanda sunt remedia. In primis talibus consuetudinarijs applicandum quoque erit 1.imum, 2.dum, ac 3.tium remedium pro consuetudinarijs in blasphemando suprà praescripta, nempe de refrænatione iræ, cohibitione linguae, & possibili evitazione illorum objectorum ac circumstantiarum, quæ ad maledicta, imprecations, atque convitia concitare solent. 2.dò, Tales meritò pertimescant vindicem Dei manum, quem alias propter sua delicta inimicum habent, dum si-

bi, prolibus, uxori, domui, pratis, jumentis, &c. dæmonem, fulgura, grandines, vel alia gravia imprecando mala illum ad iram provocant, ne effectum ab istis imprecatum illico permittat, atque puniat. 3. tiò, Non dabitent, quin hostis internalis, humano generi aliàs infensissimus, quem sibi, suisque imprecantur, semper paratissimus nocere existat, atque talia imprecata continuò adimplere; si mansuetissimus Deus, *cui proprium est semper misereri, & parcere*, hoc permitteret, ac dæmonis vires non coarctaret. 4. tò, Moveantur tales vel per propria, vel per aliena infortunia, maleficia, infestationes diabolicas, aliisque innumera damna, circa proles, jumenta, agros, domum ac propriam personam contingentia; quæ forsitan Deus in aliqua domo, familia, aut loco permittit propter nefandas, ac passim grassantes consuetudines imprecandi & maledicendi. 5. tò, Attendant, & sciant, præsertim parentes, prolibus suis ex pessima consuetudine propter minimum defecatum inadvertenter, vel ex inconsideratione puerili factum imprecantes ac maledicentes, quod, sicut illorum benedictiones frustraneæ non evadunt, ita maledictiones quoque vix sine effectu vel statim, vel ex post facto futuro existant; ut plurima tam veteris, quam novi Testamenti exempla comprobant. Hinc non mirentur postmodum tam in pecoribus, rebus domesticis, prolibus, quam in seipsis crebra maleficia: non miren- tur liberorum pertinacem indolem, pravos mo-

res, malam, etiam omni adhibita diligentia, educationem, luridam, ac sibi sumē contumeliosam vitam, nec non infelicia non raro matrimonia, ac statūs, vocationis, imò æternæ salutis neglectum.
 6. rō, Recogitent, quod homini rationali omnino dissōnum, imò insanum videatur, ita imprecando ac maledicendo in res inanimatas, vel in bruta animalia usu rationis carentia insurgere, & debachari. 7. timō, Si tales consueverint maledictiones, imprecações, vel convitia in proximum effundere, summopere studeant, majorem charitatem erga illum fovere.

65. Resp. V. Ad eradicandam diabolicam, perniciosissimam, atque moderno tempore in omni statu non raro impunitè grassantem consuetudinem proximo graviter detrahendi ac infamandi, vix efficacia inveniuntur remedia; cum iste morbus sit quasi incurabilis: nihilominus tamē aliqua præscribere congruit. Si postmodū defectu applicationis, vel ob consuetudinarij indispositionem consuetudinarij dispositionis effectus sanationis non sequatur, non ipse Medicus, sed ægrotus in causa esse censetur. 1. mō Itaque, ac præ omnibus in detrahendo ac infamando consuetudinarius ponat circumstantiam (ut loquitur Psalmista) efficacis cautelæ ori suo, ac forte iniijciat linguæ indomitæ frænum, ne suo tempore tortores infernales igneum eidem imponant capistrum. 2. dō, Talis consuetudinarius totis viribus fugiat, atq; devitet illas personas, conventicula, loca, &c. cum,

& in quibus assuetus est famam alienam indiscriminatim tam Sæcularium, quam Clericorum, ac Religiosorum denigrare, putans aliquoties, per hoc se quasi præstare servitium Deo, atque tempus bene insumere. 3. tò, Quando debet cum talibus personis, aut in simili consortio vel loco commorari, & ab alijs denuo more solito detractiones, infamations, &c. inchoantur, discretè corrigat detrahentes, aut saltem admoneat, vel interrupat discutsum, si potest: si verò non audiatur, vel admonendo, corrigendo, &c. nihil proficiat, sed potius deterius efficiat, saltem ipsemet se vincat, taceat, ac neutiquam complaceat: sicut enim juxta illud Proverb. 25. *Venit aquilo dissipat pluvias, ita facies tristis detrahentem.* 4. tò, Talis consuetudinarius recogitet, quam facile, & lingua humana prona sit famam alienam auferre; difficillimum verò restituere. Auditu terribile est, quod pijssimus simul ac doctissimus Drexelius de lingua Detrahente profert: *Detractorum non militia, sed millions reperies: sed qui famam inique subtractam paret restituere, vix ullus est.* Imò hoc vitium defacto tam commune est, ut non amplius reputari videatur pro scelere, & vix quis in confessionali de illo se accuset, cùm tamen indubitatum sit, juxta D. Augustinum: *Quod non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Si quotidie confitearis, & communices; si per totum diem in Ecclesijs sedcas; cunctis devotionibus intres; si plurima opera bona quoque exerceas;

ceas; interim tamen pessimam tuam consuetudinem, quacunque data occasione (quam non raro ipsemet queris, imo alijs praebes) non deposueris, vel saltem emendandi efficacem conatum adhibueris, famamque ablatam omni meliori, ac possibili modo restitueris, nihil tibi prodest. Plura de his breviter ac fundamentaliter enucleata invenies in doctissimis Thesibus alicujus Scotistæ, *Fama*, intitulatis. 5. tò, Talis consuetudinarius bene perpendat, turpissimam ac infamem hujus sceleris ac consuetudinis notam, siquidem detractores Deo, ac hominibus odibiles existunt, utpote honestis conversationibus invisi, ac conscientiosis intolerabiles. 6. tò, Ponderet, qualia ac quanta innumera quasi, ac irreparabilia mala sibi, & alijs causet detractio; qualia ac quanta bona impedit; quam gravissime tam bono publico, quam privato noceat, dum unica passionata ac detractorial lingua efficere sufficiat, ut qualificata ingenia negligantur, innocentes tanquam peripsema abijciantur: imo, nisi specialis gratia divina, ac propria patientia confortet, in summam desolationem, omnium rerum, laborum, ac negotiorum tedium, & non raro desperationem præcipitentur. 7. timò, Talis consuetudinarius recogitet, quod multis quoque detractiones à se effusas audientibus, adjuvantibus, &c. scandalum, atque occasionem graviter peccandi præbeat; dum hoc exemplum pestiluum imitantes auditas detractiones ulterius in alios diffundunt, aut saltem com-

placendo alieno peccato communicant. Denique cùm híc quoque venire possint illi , qui consueverunt, passim de alijs temeraria judicia , cunctaque in malam interpretari partem ; pro suo universalí capiant remedio , ut sàpiùs recogitent, se per hoc magnam Deo irrogare injuriam , cuius solius est judicare vivos & mortuos. Insuper quemlibet se ipso justiorē , ac magis pium existimet , atque omnia proximi facta in meliorem vertere partem assuescat : Deo enim, atque hominibus grata virtus est, de omnibus bene sentire , & bene loqui. Et hæc breviter de Remedijs , Recidivo præsertim consuetudine peccandi infecto à Medico spirituali , Confessario applicandis, dicta sufficiant. Qui plura de his, & alijs consuetudinibus remedendis desiderat , consulere velit Arsdekin Tom. 3. part. 5. cap. 1. Stoz lib. 1. part. 4. & lib. 2. Bassæum , Sporer , La Croix , Lohner in sua Instructione practica V. de Confess. ac alias Auctores.

SECTIO III.

De Recidivo, in occasione peccandi constituto.

Non immeritò peritissimi , ac tam in Theoria , quām praxi nominatissimi Medici sui patientis , atque ægroti convalescentiam desperant , quando iterum , iterumque fit recidivus ; cùm affectui novæ , ac novæ continuò accrescant vires , usque dum ex corpore humano ani-

ma expellatur. Si juxta Sacram Scripturam Medicus honorandus sit propter necessitatem, profectò ille Recidivus præsertim in proxima occasione peccandi constitutus, omni honore, confidentiali amore, ac reverentia prosequatur Medicum spiritualem, Confessarium, propter periculosissimam suam infirmitatem, atque imminens æternæ damnationis periculum, in quo versatur. Habet adagium, quod podagra Medicorum sit ludibrium: neutquam à veritate aberraret, qui diceret, Recidivos in proxima occasione peccandi constitutos esse Medicorum spiritualium ludibriū; utpote quorum non pauci salutarem animæ curationem respūunt, nociva devitare negligunt, salubria remedia fugiunt, & sic indefessam diligentiam, multiplices labores, atque cuncta Confessorum elidunt conamina. Attendant ergo Confessarius, attendat & ipse Recidivus, ne dum cæcus cæcum ducit, ambo in foveā cadant. Quò periculosior est ægritudo, eò cautiùs ac circumspectiùs Medicum procedere convenit; eò majorem ac magis sollicitam suæ salutis curam ægrotus adhibere debet. Ideoque, antequam remedia curationi spirituali conducentia proponantur (quemadmodum in prima Sectione de consuetudinarijs factum est) priùs statum hujus omnino periculosi morbi, nec non alias recidivæ circumstantias examinare oportet: quapropter

66. Quæritur I. Quid, & quotuplex sit occasio peccandi? Ante respondionem pro necessaria sub-

sequentium intelligentia bene notandum est I.
quod Occasio & Periculum peccandi neutiquam
confundi debeant: siquidem Occasio est causa
periculi, & aliquid jam presuppositum: Pericu-
lum verò habet rationem effectus ex occasione
orti, atque ad illam consequentis: sic conversatio
v.g. cum personis alterius sexus est, vel saltem esse
potest occasio peccandi; in se tamen spectata non
est periculum peccandi; cum multi conversentur
cum talibus personis, qui tamen non sunt in peri-
culo peccandi constituti, ut nemo dubitat: quam-
vis ista conversatio possit esse causa, ex qua post-
modum periculum peccandi oriatur.

67. Notandum II. Quod periculum peccandi ad
nostrum propositum nil aliud importet, quam
ipsam futuritionem, seu peccati imminentiam (ut
ita dicam) posita aliqua occasione vel extrinseca,
vel intrinseca, vel utraque simul exortam. Dici-
tur notanter: *futuratio seu imminentia peccati*,
quia ad constituendum periculum peccati non re-
quiritur, ut peccatum actualiter & revera sequar-
tur (ut aliqui putant) sed sufficit, quod possit se-
qui, & habeat aliquam connexionem cum dictis
occasib; nempe vel extrinseca, vel intrinseca,
vel utraque simul. Sic juvenis v.g. non bene mo-
ratus retinens domi dishonestam mulierem, quam
posset, ac deberet dimittere, est revera in actuali
periculo peccati constitutus, etiamsi nunquam cum
illa peccaverit. Ideoque

68. Notandum III. Hoc periculum sic generice
de-

descriptum dividitur in materiale & formale. Primum est illa futuritio ac imminentia peccati, solummodo posita aliqua occasione extrinseca (de qua inferius) orta. Secundum est illa futuritio ac imminentia peccati, quae non tantum posita aliqua occasione extrinseca, sed simul intrinseca, & alijs circumstantijs se tenentibus ex parte illius, qui dicitur versari in tali periculo, concurrentibus, provenit. Ex quo patet, ut aliquis dicatur esse, vel se exponere periculo formalis peccati, non sufficere, quod tale objectum, ex quo oritur periculum, sit aliquo modō inductivum ad peccandum, & quod alij tali periculo se exponentes frequenter peccent, sed insuper requiritur, ut ex parte illius, qui versatur in tali occasione, detur quoque aliquid, quod causet futuritionem ac imminentiam peccati: nam contingere potest, quod duo in eadem domo habitent, & cum eadem persona convergentur, quorum tamen unus, quia ad peccatum est pronus atque proclivis, exponat se formalis periculo peccati; alter verò non, qui vix ad tale movetur, aut qui novit se contra tentationes munire.

69. Notandum IV. Periculū formale peccandi aliud est certum, aliud probabile, & aliud leve. Illud dicitur periculum formale certum, stante quo rationabiliter ac prudenter judicatur, constitutum, seu expositum tali periculo moraliter certo peccatum, partim propter occasionem extrinsecam valde allicientem ac inductivam, partim ob ipsam ejusdem proclivitatem ad peccandum: v. g. Titius

scit à propria experientia , atque sua ad peccandum pronitate , quòd si frequentaverit hanc, vel illam personam , se moraliter certò graviter peccaturum , & tamen frequentat ; tunc Titius dicitur se exponere, seu constituere in formali periculo certo peccati. Illud dicitur periculum formale probabile, stante quo prudenter ac rationabiliter creditur , atque timetur , ne tali periculo expositus graviter peccet : v. g. Titius accedit aliquam domum, vel personam, cum qua conversatus aliquoties peccavit , aliquoties tamen abstinuit, credit tamen ac timet , ne , si denuo accedat , peccet ; tunc Titius dicitur se exponere, seu constituerre in periculo formalis probabili peccati. Illud denique dicitur periculum tantum leve, stante quo oritur quædam timiditas ex fundamento atque ratione nō adeo firma, quòd constitutus in aliqua occasione sit peccaturus : v. g. Titius aliqualiter scrupulosus, ac in omnibus rebus nimium timidus, quando conversatur cum fæminis etiam honestis, suspicatur ac timet, ne forsitan peccet. His ergo notatis

70. Resp. I. Occasio genericè sumpta dicitur omne illud, unde quomodo cunque oritur aliquod periculum peccati : sic omnes illæ res , personæ , negotia, officia; operationes, atque objecta, quæ alicui circa talia versanti præbent , vel præbere possunt ansam, aut causare aliquod periculum peccandi, dicuntur occasiones ad peccandum : & quòd magis, vel minus sunt induciva , allientia, aut trahentia ad peccatum , eò proximiores , vel remotiores censentur

sentur esse occasiones; si cætera quoque concomitantur, de quibus statim dicetur.

71. Resp. II. Occasio sic genericè considerata dividitur in materialem, & formalem. Occasio peccandi materialis est omne illud, unde quomodo cumque oritur aliquod periculum peccati, non quidem tam ratione ipsius objecti, unde oritur, quam potius ratione illius, qui tendit, utitur, aut versatur circa simile objectum: sic militia causat, vel saltem multis causare potest periculum peccati; hoc tamen non provenit ex ipso objecto, seu militia, utpote quæ de se indifferens bene vel male applicari potest; sed potius ac principaliter hoc provenit ex mala applicatione, usu, vel magis abusu militiæ. Sic quoque est discurrendum de Mercatura, ac universaliter de omnibus officijs, artificijs, artibus, negotijs, &c. quæ de se non sunt mala, aut inducīva, vel allicientia ad peccatum; sed potius fiunt mala ob malam applicationem; quamvis abutenti possint esse ansa, atque occasio ad malum seu peccatum. Occasio peccandi formalis est omne illud complexum ex objecto & circumstantia, seu occasione extrinseca de se aliquo modō ad peccandum inducīva, atque ex fragilitate, conditione, ac proclivitate ad peccandum, vel omnino malitiosa natura illius, qui dicitur esse constitutus in occasione formalis peccati, ac proin occasio intrinseca vocata; unde postmodum quomodo cumque oritur aliquod periculum peccati. Ex quo patet, quod ad constituendam occasio-

nem formalem peccandi duo necessariò requirantur, ita quidem, ut uno deficiente non amplius manifesteat occasio formalis propriè talis, nempe objectum, aut circumstatitia, seu occasio extrinseca ad peccatum inducens, alliciens, aut saltem ansam præbens, & aliqua circumstantia, seu occasio intrinseca, id est fragilitas, ad peccandum proclivitas &c. illius, qui versatur circa dictum objectum extrinsecum. Sic potest adesse occasio extrinseca de se quidem inducens periculum peccati, quæ tamen nequit vocari occasio formalis; ut quando viri sanctissimi sine arbitris sunt conversati cum meretricibus, quatenus illas Christo lucrifacerent, adfuit quidem talis occasio extrinseca, non tamen formalis; dum in ipsis Sanctis non inveniebatur occasio intrinseca, & sic non oriebatur periculum formale peccati neque certum, neque probabile. Econtra potest adesse occasio intrinseca de se inducens periculum peccati, quæ tamen sola non vocatur occasio formalis, ut quando aliquis frequenter absque occasione extrinseca ex se solo pollutiones v. g. admitteret, non diceretur esse constitutus in formali occasione peccandi propriè loquendo, de qua hic agitur.

72. Resp. III. Occasio peccandi formalis subdividitur in remotam, & proximam. Prima est, unde oritur aliquod periculum leve peccati. Secunda est, unde oritur periculum certum, aut saltem probabile peccati. Hinc non placet illa Theologorum doctrina, requirentium certum numerum actuum

peccaminorum, seu relapsum ipsius, in occasione formalis constituti, ad hoc, ut dici possit occasio formalis remota vel proxima: quatenus aliqui exigunt ad occasionem formalem proximam constituendam frequentem relapsum, qui comparari debet, cum æquè vel minus frequente evasione à peccato; ut si quis in tali occasione vigesies positus, decem, vel undecim vicibus peccavit, & decem, vel novem vicibus evasit à peccato imminis. Alij verò exigunt frequentissimam recidivam, ita ut occasio formalis proxima dici nequeat, in qua æquè frequenter peccatur, & æquè frequenter non peccatur; sed illa solùm, in qua semper, vel serme semper, seu frequentissime, aut saltem longè frequentius peccatur, quam non: non placet, inquam, hæc doctrina (salvo tamen semper meliori judicio) ex hac ratione & motivo; quia juxta superius dicta ad constituendum periculum formale peccati non requiritur, ut peccatum actualiter ac revera sequatur; sed sufficit, ut possit sequi, & habeat aliquam connexionem cum occasione extrinseca vel intrinseca, consequenter non debemus attendere, quoties in occasione peccandi constitutus actualiter peccaverit, sed utrum ista occasio sit talis, ut inducat remotè vel proximè periculum certum vel probabile peccati; cum saepius fiat, quod constitutus in occasione peccandi, respectu sui proxima, multoties in illa actualiter non peccet: Ex quo tamen non sequitur, quod non sit occasio proxima; quod enim

hic & nunc actualiter non peccet, per accidens contingit; cum occasio peccandi non constituitur per peccata, utpote effectus ad illam consequentes; sed potius per rationes ac circumstan- tias ad peccata inducivas; uti est aliquod ob- jectum extrinsecum, ac intrinseca proclivitas ad pec- candum. Interim tamen ultrò concedimus, quod ex tali majori, vel minori numero actuum pecca- minosorum veluti à posteriori, & ab effectu colligi queat, utrum adsit occasio formalis proxima pec- candi, an verò remota. Sed hoc solummodo ne- gatur ob dictas rationes, quod talis major, vel minor numerus actuum peccaminosorum sit ra- tio formalis constitutiva occasionis formalis pro- xiæ, vel remotæ.

73. Insertur. Quamvis secundum dicta occa- sionem formalem peccandi, verum periculum im- portantein, constituat tam aliquid extrinsecum, quam intrinsecum ad peccandum inducens: non tamen requiritur, ut utrumque æqualiter concur- rat, sed potest unum magis & alterum minus cau- sare tale periculum; siquidem dari potest aliquod objectum extrinsecum, quod respectu Titij v. g. una cum illius intrinseca nimia proclivitate ad peccandum constituit occasionem formalem pro- xiā peccandi; cum tamen respectu Caij, non ita in aliquod vitium proclivis, constituerat tantum occasionem remotam. Et econtra potest in uno inveniri non tam vehemens ad peccandum pro- pensio; interim tamen objectum extrinsecum tam vehen-

vehementer alliciens, ac trahens ad peccatum, ut exinde constituatur occasio formalis proxima peccandi. Ideoque

74. Resp. IV. Occasio formalis proxima peccandi denuo subdividitur in absolute, & respectivè proximam. Prima est, unde oritur periculum peccati certum, vel saltem probabile, & quidem regulariter respectu cujuscunque, qui in tali occasione constituitur; sic tactus v. g. deliberati partium obscenarum alterius sexus cum aliqua mora, & sine necessitate exerciti reputantur esse occasio formalis proxima absolute talis omni homini non conjugato, & usu rationis praedito: in primis enim adest objectum extrinsecum de se inducens, alliciens, imò trahens ad peccatum, nempe ad cogitationes ac desideria lasciva, turpes motus, & similia; ut de se patet. Deinde adest quoque occasio ac circumstantia intrinseca, seu propria fragilitas tangentis, ac naturæ Laicalis propensio ad vitium luxuriæ; quæ in omnibus quasi hominibus, magis ramen vel minus, remanet ex illo somite peccati originalis: si enim Vas electionis, & Doctor Gentium, ad tertium cælum usque jam rapitus, ab isto somite, ac naturæ propensione immunis non fuit, sed ter Dominum rogavit, ut discederet ab ipso stimulus carnis, quis dubitabit de hominibus infirmis, imperfectis, peccatoribus? Secunda, seu Occasio formalis peccandi proxima respectivè talis est, unde oritur periculum certum, vel saltem probabile peccati, non quidem regulari-

ter respectu cuiuscunque, sed solummodo respectu illius, cuius natura est omnimodè propensa, atque proclivis ad illud vitium, ad quod per occasionem extrinsecam inducitur: sic choreæ v. g. vel nimirum familiares ac frequentes conversationes cum personis alterius sexûs, præsertim juvénium cum puellis, de se, & absolutè loquendo, respectu nimirum cuiuscunque non sunt occasio formalis proxima peccandi; cùm plurimi choreas ducant, familiariter ac frequenter cum personis alterius sexûs conversentur sine omni periculo, saltem certo, vel probabili peccati. At verò respectu illius, qui habet naturam vel de se, vel propter pravos habitus vehementer inclinatam, ac omnino proclivem in vitium v. g. luxuriæ; præsertim si ab experientia nō sit, quòd à potiori graviter peccet, quomodo cunque demum sive morosis delectationibus, sive obscenis tactibus, sive scandalosis amplexibus, & osculis, sive pollutionibus: &c. quando frequentat choreas, vel dictas conversationes, & tamen hoc facit; dicitur esse constitutus in occasione formalí proxima, respectivè tali. Nec proinde sibi hujusmodi farinæ homines falsò persuadeant, quòd neutquam sint constituti in occasione formalí proxima; dummodo actualiter non fornicentur, adulterentur, &c. Multò magis errant illi, qui pro occasione formalí proxima non reputant, quando eidem personæ, cum qua graviter peccare solent, in eadem domo, loco, pago, &c. non cohabitant; quamvis aliunde accedentes

dentes frequentissimè cuin illa peccent. Sic quoque discurrendum est etiam in alijs materijs.

75. Resp. V. Occasio formalis proxima peccandi tam absolutè, quām respectivè talis, alia est indeterminata, alia determinata. Prima nuncupatur, unde oritur certum, vel saltem probabile periculum peccandi peccatō aliquō indeterminatō: talis occasio esset, quæ aliquem in illa constitutum semper induceret ad aliquod peccatum patrandū sive hujus, sive alterius speciei: v.g. vel ad se inebriandum, vel fornicandum, vel detrahendum, vel blasphemandum, &c. hinc, quamvis non verificetur, talem constitutum certò, vel probabiliter fornicaturum, blasphematurum, &c. verificatur tamen, illum certò vel probabiliter graviter peccaturum. Secunda dicitur, unde oritur certum, vel saltem probabile periculum peccandi peccatō aliquō determinatō, v.g. detractionis, ebrietatis, fornicationis, &c. ita quidem, ut pro hic & nunc ad unam solummodo determinatam speciem peccati inducat.

76. Resp. VI. Alia denique occasio formalis proxima peccandi tam absolutè, quām respectivè talis est involuntaria, seu necessaria; alia voluntaria & libera. Per hanc intelligitur illa, quam aliquis liberè ac voluntariè quærit, illi se committit, exponit, aut eandem retinet, non dimittit, non fugit, &c. cùm tamen hoc facere posset, ac deberet. Per illam verò (involuntariam, seu necessariam) intelligitur, cui se aliquis vel non liberè

ac voluntariè, sed quasi necessariò committit; aut si priùs quidem liberè ac voluntariè in illa se posuit, defacto tamen deserere nequit, sed necessariò retinet, atque in illa manet. Et hoc dupliciter, vel ex necessitate physica, vel morali. Tunc constituitur aliquis in aliqua occasione proxima peccandi ex necessitate physica, quando vel ab aliqua causa extrinseca vi in illa, renitente voluntate, ponitur; vel quando adest aliquod impedimentum physicum, ratione cuius nequit talem occasionem relinquere; ut si esset inclusus in aliquo cubiculo, ubi pariter persona adest, cum qua semper peccat, vel saltem ad peccandum continuò inducitur. Tunc constituitur aliquis in occasione formalí proxima peccandi ex necessitate morali, quando se illi committit, vel deserere nequit ob ingens damnum corporale, vel spirituale, v. g. in vita, honore, fama, divitijs, & similibus. Addunt aliqui necessitatem Theologicam, quæ provenit ex aliquo præcepto obligante: qualem necessitatem haberet v. g. Chirurgus, qui ex charitate vel justitia obligatur mederi alicui personæ alterius sexus (quæ sibi est occasio peccandi) extremam tamen necessitatem patienti; cum non adsit alius, qui mederetur. Modò explicata occasionum peccandi varietate:

77. Quæritur II. An detur obligatio evitandi occasionem formalem remotam peccandi? Resp. Nullus obligatur vitare occasionem formalem peccandi remotam propriè talem. Ita communiter

ter DD. Ratio est : quia in humano consortio esset difficillimum ac moraliter impossibile, à tali occasione recedere, vel cam evitare: alioquin, ut dicit Apostolus 1. ad Cor. 5. *de hoc mundo exire deberemus*: cùm hujusmodi occasionses peccandi in toto hoc universo, in omnibus statibus, officijs, atque negotijs, licet inæqualiter, paſſim invenantur: nihil enim tam bonum & sanctum est, quod non sit, aut esse possit aliquibus occasio quædam peccandi ob fragilitatem atque conditionem humanam, quæ semper magis in malum, quam bonum inclinat. Interim tamen indubie consulendum erit, ut quilibet tales occasionses, quantum commode fieri poterit, vitare studeat, periculosis statibus, officijs, negotijs, conversacionibus, ceterisque omnibus illis amputatis, quæ vitare solet, qui seriam salutis suæ curam gerit. Dicitur notanter, *propriè talem*; siquidem illud, quod uni est occasio formalis peccandi remota, poterit alteri esse proxima; consequenter de tali ista responsio non erit intelligenda, quia tunc non manet amplius occasio formalis peccandi remota; uti partim ex dictis, partim ex dicendis patebit.

78. Quæritur III. An, & quando detur obligatio evitandi occasionem formalem peccandi proximam absolutè talem? Resp. I. Quilibet sub peccato mortali evitare, ac derelinquere tenetur occasionem formalem peccandi proximam absolutè talem, quæ certum periculum peccati inducit. Ita communiter DD. Ratio patet primò ex illo Ec-

clesiasti 3. *Qui amat periculum, peribit in illo:*
 quis autem magis amat periculum peccati, quam
 ille, qui moraliter certò scit, aut saltem scire po-
 test, atque debet, quod in tali vel tali occasione
 constitutus partim ob aliquod objectum extrinse-
 cum, partim ob suam malam naturæ proclivitatem,
 sit graviter peccaturus, & tamen non evitat, vel
 derelinquit; consequenter perit in tali periculo,
 seu peccat mortaliter? Ratio patet secundò ex hoc,
 quod ille, qui vult talè occasionem, censeatur quo-
 que velle ipsum peccatum, quod cum ista occa-
 sione, tanquam sua causa, moraliter saltem lo-
 quendo necessariò est conjunctum; consequen-
 ter contrahit illius peccati malitiam. Deinde, quia
 præceptum prohibens peccatum etiam prohibet
 hoc, quod proximè ac moraliter est conjunctum
 cum peccato: sicuti præceptum prohibens finem,
 prohibet quoque media ad talem finem ducen-
 tia: adeoque, qui se constituit in occasione for-
 mali peccandi proxima, & quidem absolutè tali,
 peccat contra præceptum prohibens illud pecca-
 tum, ad quod occasio inducit; & sic admittit
 malitiam talem, qualis est in ipso peccato.

79. Resp. II. Quilibet sub peccato mortali evi-
 tare ac derelinquere tenetur occasionem forma-
 lem peccandi proximam absolutè talem, quæ
 probabile periculum peccati inducit. Ita Lessius,
 Navarrus, Thomas Sanchez, Cardenas in Crisi
 Theolog. La Croix in Theol. Moral. lib. 5. de Pec-
 cat. cum pluribus alijs. Ratio est: nam juxta dicta

num. præced. ille graviter peccat, qui non fugit, nec deserit occasionem formalēm peccati proximam absolutē talem, certum periculum peccati inducentem: ergo etiam ille, qui non fugit, vel non deserit talem occasionem, periculum peccati probabile inducentem. Prob consequentia. Ideo prius graviter peccat, quia vult præsens periculum animæ, quale generat dicta occasio formalis peccandi proxima; sed tale malum vult quoque secundus: quia periculum probabile, quod occasio inducit, tam bene est præsens animæ malum, quam periculum certum; siquidem solummodo differunt secundūm magis & minus ob certitudinem, ac probabilitatem, seu ob magis vel minus certum; consequenter est omnino periculosum ac temerarium, se tali committere, vel in eo manere: sicut non minus temerarium ac periculosum foret, committere se periculo vitæ corporalis probabili, quale esset desilire ex alta turri, aut velle cum armis feroci occurrere leoni, quam se committere certo mortis periculo. Unde in ordine ad praxin periculosa videtur esse quorundam opinio atque sententia, qui defendunt, occasionem formalēm proximam peccandi non esse fugiendam, quando inducit solummodo periculum probabile peccati; siquidem concubinarius v. g. facile sibi persuadebit, aut persuadere conabitur, suum periculum peccati non esse certum, sed probabile duntaxat; consequenter neque sibi inesse obligationem vitandi occasionem formalēm proximam,

in qua versatur, & quæ inducit tale periculum: ideoque manebit in perpetuo æternæ damnationis periculo.

80. Infertur. Rationes Adversariorum omnino non convincunt, dum dicunt: Ubi periculum est tantum probabile, ibi probabile quoque est, non esse periculum, consequenter sicut in alijs materiaj licitum est, sequi unam sententiam probabilem relictâ altera probabili, ita & h̄c. Contra enim est, & negatur hoc suppositum; in quo ista duo confunduntur, nempe esse periculum probabile peccati, seu probabiliter committendum esse peccatum; & esse probabile, quòd adsit periculum peccati; quæ tamen sunt diversissima. Ideoque verum quidem est, quòd, quando probabile tantum est, adesse periculum peccati, probabile quoque esse possit, non adesse, & sic liceat sequi quamcunque sententiam ex his duabus. At vero, quando dicitur, adesse periculum probabile peccati, tunc certum, & non tantum probabile est, quòd adsit; hinc vocatur periculum probabile solummodo ratione effectus, & in causando, quia non est certum, sed tantum probabile, quòd illud periculum sit conjungendum cum peccato: non vero vocatur probabile in se, & in existendo; cum tali modo certum sit, eò ipso, quia certum est, ac supponitur, adesse tale periculum peccati. Ex quo patet, quòd, si alicui esset probabile, h̄c & nunc non esse periculum probabile lapsus, posset utique deponere dubium, ac sibi formare

formare conscientiam practicam, se posse illi committere, vel in tali occasione, ex qua oritur, permanere: nam formando conscientiam practicam per judicium prudens & reflexum, tollitur omne periculum atque occasio proxima peccandi; & tantum se exponit occasione materiali, vel saltem formalis remotae, quam juxta dicta evitare non tenetur. Econtra, ubi supponitur, adesse probabile periculum peccati gravis, qualemque mihi formarem judicium, illud periculum tamen manebit; & sic mihi non amplius probabile erit, quod non peccem, me illi periculo exponendo, sed potius certum.

81. Resp. III. Nemo sub gravi culpa evitare, ac relinquere tenetur occasionem formalem peccandi proximam absolutè talem, leve tantum periculum peccati inducentem. Ita communiter DD. Ratio de se patet: quia tale periculum oritur solummodo ex aliqua suspicione ac judicio levi; non autem ex judicio gravi certo, aut saltem probabili, quod peccatum sit secuturum, quando aliquis constituatur in tali vel tali occasione. Unde committens se simili occasione, vel in ea remanens, stante etiam tali suspicione atque judicio, non peccat, saltem graviter: licet melius sit, ut suspicio atque judicium illud totaliter deponatur, ac fiat resolutio practica, nullum verum periculum peccati subesse.

82. Infertur. Non debet aliquis continuò, atque passim, ac ferme ubique absque rationabi-

li causa periculum formale peccati timere : sane imprudens foret, nolle loqui cum hominibus , ne quid mali audias , nolle salutare fœminas , ne seducant,&c. imò per hoc temerè judicas , vel suspicaris de proximo tuo, quasi malus esset , qui tamen forsitan melior est te ipso : quod est contra charitatem , & justitiam ; cùm quisque tamdiu debeat præsumi bonus , donec probetur est malus. Certum est , quòd multoties per nimias , atque anxias scrupulosasquet timiditates pericula peccandi non evitentur, sed potius incurvantur ; dum natura alias in malum prona per tales imaginationes , apprehensiones , & impressiones eò ipso ad illud excitetur , quod sibi obijcitur , cooperante non raro versipelli hoste infernali , qui ex similibus timiditatibus suarum temptationum laqueos componere non ignorat : quò magis enim vertigine alias laborans , & in quodam præcipitio existens lapsum timet , eò citius labitur , ac in profundū præcipitatur ; quod periculum alij non adeo apprehensivi facilè devitant. Unde expedit , ut sine timore aliquis ita agat , quemadmodum videt , sine timore alios agere , qui communiter habentur prudentes atque probi. Teneræ conscientiæ timent quidem malum , ubi etiam malum & culpa non est ; attamen prudenter ac rationabiliter.

83. Quæritur IV. Quinam sub peccato mortali evitare teneantur occasionem formalem peccandi proximam respectivè talem , quæ inducit periculum peccati vel certum , vel saltem probabile?

Resp.

Resp. I. Quilibet sub peccato mortali evitare tenetur omnem illam occasionem formalem peccandi, quæ respectu sui est proximè inducens periculum certum aut probabile peccati; licet respectu aliorum sit solummodo occasio remota. Ita suprà citt. Ratio est: quia juxta dicta occasio formalis peccandi non tantùm importat circumstantiam aliquam & objectum extrinsecum; verùm etiam circumstantiam quandam intrinsecam, ex parte illius se tenentem, qui est in tali occasione constitutus; uti est, vehemens v. g. proclivitas in certum aliquod vitium, ad quod inducitur: cùm ergo in uno possit dari talis circumstantia intrinseca, in alio verò non, vel saltem non ita vehemens, quamvis respectu utriusque adsit idem objectum atque circumstantia extrinseca; consequenter respectu primi erit occasio formalis peccandi proxima completa, & adæquata, ad quam vitandam sub peccato mortali tenetur, sicut quicunque aliis, qui est in occasione formalí proxima constitutus. Respectu secundi verò est solummodo occasio peccandi incompleta, inadæquata, & materialis, vel ad summum formalis remota; ad quam juxta dicta nemo de se loquendo evitandam tenetur, saltem sub peccato gravi. Ex dictis

84. Infertur I. Inter occasiones formales proximas peccandi numerandæ sunt choreæ non tantùm impudicæ, præsertim nocturnæ, ac privatae, quas puellæ cum adolescentibus concurrentes agitant, & in quibus interveniunt oscula, ample-

xus , gesticulationes turpes , petulantes tactus , sermones impudici , &c. à quibus moraliter loquendo , impossibile videtur , abesse pravas commotiones , imaginationes , delectationes , desideria ; & hinc meritò à SS. Patribus vocantur *iter* , *pompa* , ac *tripudia diaboli* : verùm etiam illæ choreæ , quæ aliàs honestæ , de die , & in publico fiunt , sunt occasio formalis proxima peccandi respectivè talis omnibus illis , qui ab experientia , inspecta sua depravata natura , atque in luxuriæ virtutum valde proclives sciunt , quòd ferme semper labantur in grave peccatum.

85. Infertur II. Frequentatio ptopinarum , ac lusuim , respectu plurium est aliquid indifferens , ac neutquam peccaminosum : illi tamen , qui à potiori in talibus occasionibus ad usus rationis privationem usque sese ingurgitant , blasphemant , uxores , filios , atque alios gravissimè tractant , vulnerant , cum alijs rixantur , fornicantur , est occasio formalis peccandi proxima respectivè talis , sub gravi obligatione vitanda.

86. Infertur III. Societates (uti vocantur) in quibus multi diversi sexus conveniunt , ludendo , confabulando , moderatè potitando , &c. tempus insumentes , de se honestæ ac licita videntur , dummodo omne scandalum absit : nihilominus tamen respectu illius , qui in talibus conversationibus frequentissimè graviter peccat quomodounque (ut supra , Responsione IV. ad Quæsumum I. hujus Sectionis insinuatum fuerat) non est licita

licita talis Societas , sed peccaminosa ; utpote occasio formalis proxima peccandi respectivè talis.

87. Infertur IV. Scit aliquis ab experientia propria ; quoties legit libros de anatomia , rebus Medicis , de amoribus , &c. quoties est curiosus in aspiciendis objectis , considerandis picturis non adeo honestis , &c. semper se gravi peccato inquinari : item quoties frequentat certam aliquam domum , conventicula ; personas , &c. alijs semper graviter detrahere , ad gravem iracundiam excitari , ad rixas , ad blasphemias , &c. commoveri : item , quoties plus solitò bibt , ob naturæ indispositionem , vel cerebri debilitatem totaliter inebriari : quoties laborat , familiariter conversatur , &c. cum aliqua puella , quam amore lascivo prosequitur , & ideo ipsem occasionem talem quærit cum illa commorandi , se à potiori peccare ; & tamen dicta facit , loca , personas , conventicula illa , ac similia frequentat , constituit se in occasione formali proxima peccandi ; consequenter peccat.

88. Infertur V. Multifalsò , ac æternæ salutis periculoso laborant supposito , dum existimant , non esse occasionem formalem proximam peccandi , consequenter non devitandam , quando juvenes , vel etiam mariti inter personas alterius sexus commorantes , & istas obviām habentes , maximè in cauponis , cooperante simul nimio potu , easdem quacunque data occasione turpiter tangunt , libidinosè exosculantur , amplectuntur , &c. non raro

cum summo aspicientium, præcipue innocentis juventutis, scandalō. Non dicant, quod talia faciant curiositatis, jocī, affectūs, amicitiæ conservandæ gratiā, &c. vel quod nulla prorsus interveniat turpis cogitatio, desiderium, aut motus in honestus: quia in primis transeat, quod tales nil mali intendant, nil mali cogitent; attamen procul dubio personis ita tactis, exosculatis, &c. causabunt turpia desideria, commotiones carnales, &c. vel saltem ansam ad ista præbebunt. Deinde dato, quod ex neutra parte prædicta fiant, ipsa tamen occasio est graviter peccaminosa, eò quod sit de se proximè inducens periculum probabile, vel omnino certum peccati.

89. Infertur VI. Non se ipsas puellæ seducant, dum fingunt atque prætendunt plurima ad excusandas excusationes in peccatis, neutquam pro occasione proxima formalī peccandi agnoscerē, ac reputare volentes, dum juvenes tam diurno, quod nocturno tempore, præsertim diebus festivis ad se alliciunt, invitant, illos ad choreas, ad cauponas ~~concomitantur~~, nocte imtempesta non raro ab eisdem etiam totaliter, vel saltem semiebrijs, ac alias ad omnem petulantiam dispositis, etiam ipsæ cerevisiâ, mustô, vel vinô aliquatenus incrapulatæ domum reducuntur, non quidem (uti ajunt) ex alio fine, quam vel ut amatos, sicut cæteræ, habeant, & sic ab alijs non despiciantur; vel ut poculenta, esculenta, honoraria, &c. acquirant; vel ut suo tempore talibus Matrimonio jungi

Jungi valeant. Imò, quod adhuc pejus esse videtur, ipsimet Parentes, maximè Matres, non tantum talia scientes dissimulant, connivent, atque permittunt; verùm etiam proprias filias ad hoc instruunt, omnes possibles occasiones inquirunt, procurant, atque subministrant, ipsas ut inurbanas, devotulas, solitarias, infensas, &c. increpant, nec non, si in talibus non obedient, minus quam alios liberos diligunt, ac sàpius odio prosequuntur, nil aliud quidem per hoc intendentis, quam ad captivandos, ac vinculo matrimoniali suo tempore ligandos juvenes, præcipue divites, præpotentes, ad insignia officia promotos, vel promovendos, &c. Nihil dicam de illis sceleratis parentibus, qui omnem paternam atque maternam curam, ac sollicitudinem, omnem etiam alias naturæ insitum amorem deponentes sine omni conscientia vel scrupulo divitibus, præpotentibus juxta ipsorum voluntatem, ac beneplacitum proprias filias tradunt, has ad eosdem inducunt, cogunt, omnem ansam præbent, &c. ex nullo alio fine, quam vel quia forsitan cuncta dilapidarunt, pigritiæ, ac commissationibus dediti laborare nolunt, ut prose suisque sustentatione, aut media pro consuetis, ac quotidianis potationibus necessaria acquirant; vel ut ad aliquod officium, dignitatem, &c. promoveantur. Hi profecto non sunt parentes, sed lenones, imò latrones prolium suarum animas trucidantes, quas suo tempore divinus Jūdex ab ipsorum manibus requiret. Quod autem de similibus

mate-

materijs dictum est, ad alias quoque applicari poterit.

90. Quæritur V. An sit obligatio sub peccato mortali stringens vitandi occasionem formalem peccandi non tantum determinatam, sed etiam indeterminatam, certum vel saltem probabile periculum peccati inducentem? Resp. Datur gravis obligatio, se non committendi, vel non manendi in occasione formalis proxima peccandi peccato indeterminato: v. g. scio, ac prævideo, quotiescunque familiariter ago cum Titio, vel ipsum visito, quod semper grave peccatum committere soleam, non quidem idem, sed modò peccatum fornicationis, modò blasphemiae, modò ebrietatis, &c. tunc æquè teneor sub peccato mortali vitare hanc occasionem formalem proximam peccandi indeterminatam, quam determinatam. Ita Lugo, Aversa, Herinx, Bosco, La Croix cum alijs. Ratio est: quia velle peccatum aliquod, in communis cognoscendo plura, æquè, immò magis malum est, quam velle aliquod in particulari: prior enim voluntas est indiferens, atque parata ad plura peccata committenda; consequenter magis peccaminosa.

91. Quæritur VI. An, & quando aliquis deobligetur evitare occasionem formalem peccandi proximam involuntariam, seu necessariam? Resp. I. Quando occasio formalis proxima peccandi est involuntaria, seu necessaria necessitate physica, etiamsi inducat, atque causet periculum certum pec-

peccati, non datur obligatio gravis eam deserendi; bene tamen pro possibili vitandi. Ita in re communiter DD. Ratio hujus patet: siquidem ad impossibile nemo tenetur: cum ergo impossibile sit, ut aliquis deserat occasionem illam peccandi, cui necessariò necessitate physica est alligatus; ut si luxuriæ aliàs deditus cum aliqua fœmina etiam non adeò honesta in carcere inclusus detineatur; consequenter ad illam deserendam in conscientia non obligatur: imò non potest, ut supponitur. Nec dicas, quòd taliter in occasione proxima peccandi necessariò constitutus sit quasi moraliter certificatus, se peccatum propter naturam suam pronissimam in peccatum illud, cui est expositus, adeóque necessariò débeat pati æternæ salutis damnum: nam, dummodo firmum habeat propositum, omni possibili modo peccatum devitandi, simùlque serium adhibeat conatum, suam naturam corrigendi, passiones refrænandi, &c. nec non speciali gratiæ divinæ assistentiæ confidat; tunc experietur, quòd hac adjuvante atque cooperante victor evasurus sit, saltē successivè ex occasione formalí proximā faciendo remotā. Quòd si quæras, utrū talis, præter extrinsecam occasionem vehementissimè ad peccatum inducēt, atque trahentem perspiciens propriam suam in malum pronissimam naturam, & sic relapsum moraliter certò prævidens data occasione teneatur applicare media extraordinaria deserendi di-
ctam occasionem extrinsecam, v. g. effringendo

carcerem, apprehendendo fugam, &c. Resp. quod sic; si moraliter certò scit, quod adhibitâ diligentiâ, & mediis necessariis tentatis nequeat tamen à tali vitio abstinere. Ratio est: quia tali modo non manet amplius necessitas physica; sed solummodo evadit moralis, utpote quam deponere potest, & qua stante quilibet non tantum vitare, sed deferere quoque obligatur occasionem formalem proximam peccandi etiam necessariam, periculum peccati certum inducentem, ut statim dicitur. Nec obest, quod ista sint media insolita & extraordinaria: quia juxta dicenda quilibet obligatur etiam cum periculo vitae deferere talem occasionem. Additur notanter, bene tamen pro possibili vitandi; magna quippe differentia est inter deferere, ac vitare occasionem peccandi: nam *ly deferere*, afficit ipsam circumstantiam extrinsecam occasionis proximæ, quæ se tenet ex parte objecti, cui talis est alligatus: *ly vitare* vero afficit intrinsecam circumstantiam occasionis, quæ se tenet ex parte ipsius tali objecto extrinseco alligata: quamvis ergo in posito casu sit impossibile, ut prima mutetur, potest tamen mutari secunda; cum quilibet suam fragilitatem, depravatam, habituatam, atque in malum omnino proclivem naturam, vincendo se ipsum adjuvante divina gratia, corrigere possit; consequenter tali modo vitare illam occasionem extrinsecam, ne per eam in peccatum inducatur.

92. Resp. II. Quando occasio formalis proxima pec-

peccandi est involuntaria , seu necessaria necessitate morali , atque inducit periculum peccati certum , tenetur aliquis non tantum eam vitare , sed etiam deserere . Ita Tannerus , Lopez , Cardenas , Stoz , & alij . Ratio est : quotiescumque enim duo mala simul concurrunt , quorum unum necessariò eligi debet , tunc minus eligendum est : sed in hoc casu respectu illius , qui constituitur in occasione formal i proxima peccandi necessaria necessitate morali , concurrunt duo mala , quorum primum majus & fortius est , nempe peccatum mortale , per quod amittitur æterna salus ; alterum verò longè minus , nempe vel magnum detrimentum in bonis famæ , vitæ , vel fortunæ , quod importat necessitas moralis ; consequenter potius secundum malum tanquam minus , quam primum , utpote majus , eligi debet ; & sic constitutus in tali occasione potius sustinere debet aliquod magnum damnum , quam committere se periculo certo peccati . Nec dicas r. m. o. , quod occasio peccandi in se peccatum non sit , sed tantum periculum peccati afferat , neque necessitatem peccandi inferat , aut libertatem tollat , sed possit cum ea consistere vera detestatio peccati . Contra est : licet enim occasio peccandi non sit ipsum peccatum , est tamen causa peccati , & quidem certò futuri , seu moraliter certam connexionem habentis cum illa occasione , ut supponitur : consequenter velle in tali occasione ac periculo manere , est moraliter velle ipsum peccatum : in nullo autem casu lici-

tum est velle peccatum : ergo nec tale periculum , & occasionem peccati. Nec dicas 2. dò , quòd sit tantùm permisso peccati: nam licet peccatum alienum permitti possit , concipi tamen nequit , quomodo quis dicatur permettere peccatum proprium formale ; si enim permittit , eò ipso admittit : qui autem admittit , peccat ; sicut enim , qui ex metu mortis mentitur , adhuc peccat , quamvis non mentiretur , si abesset metus mortis ; ita similiter peccat , qui ex metu mortis v. g. vel alterius gravis damni manet in periculo formalis peccati , quod occasio formalis proxima importat , cum qua moraliter conjunctum est peccatum. Nec dicas 3. tiò , quòd tantùm permittatur periculum proprij peccati , non verò ipsum peccatum. Contra enim est: quia eò ipso , quòd permittatur periculum peccati , permittitur simul & ipsum peccatum , quod in hoc casu certò sequitur , posito tali periculo ; uti supponitur. Hinc errant non pauci in hoc , quòd confundant occasionem extrinsecam cum periculo peccandi : licet enim aliquoties permitti possit occasio peccandi saltem inadæquatè talis , quatenus importat solam illam circumstantiam extrinsecam objecti ad peccatū inducentem ; non tamen periculum formale peccati , quod certò consurgit ex occasione adæquatè sumpta , seu in quantum simul importat circumstantiam intrinsecam jam sæpiùs descriptam illius , qui constituitur in occasione peccandi extrinseca : si quidem , ut dictum est , permettere periculum formale

male peccati, est permettere ipsum peccatum, ut potest moraliter certò cū illo conjunctū, quod nunquam licet. Nec dicas 4. tò, quòd Ecclesia nullum obliget cum tam gravi difficultate ad servanda præcepta Ecclesiastica; consequenter neq; Deus in tali casu: negatur enim paritas; siquidem transgressiones præceptorum Ecclesiasticorum in se, & intrinsecè malæ non sunt, sed quia sunt prohibitæ; & sic cessante obligatione Legis ex intentione Legislatoris cessat quoque ratio peccati: peccata autem, ad quæ dictæ occasions moraliter certò inducunt, v.g. fornicationes, detractiones, blasphemias, ebrietates, &c. sunt intrinsecè mala, & non tantum ideo, quia sunt prohibita; consequenter ob nullam difficultatem, vel damnum licet ea committere, aut periculo formalis talia committendi se exponere, cum quo moraliter certam habent connexionem. Dicitur autem, quando *inducit periculum certum peccati*: si enim non adest talis certitudo, eò ipso non manet amplius tanta obligatio; ut infra videbitur.

93. Infertur I. Filius familias cum sua consanguinea, aut famula domestica continuò peccans, dum ex una parte in sua potestate non est, ut istas personas ejiciat: ex altera verò parte post tot repetitas Confessiones, Confessarij admonitiones, promissiones, ac proposita à se facta, videt, imò certò scit, quòd ex inveterata consuetudine, ac natura depravata huic vitio cum talibus personis sibi cohabitantibus neutquam valedicere possit; te-

netur ex domo paterna discedere , saltem ad tempus, usque dum dictæ personæ amoveantur. Ratio patet ex dictis.

94. Infertur II. Ponendo casum ex Crisi Theologica P. Cardenas. Puella parentibus orbata, omnique spe humana destituta , nec non omnis artis ac laboritij ad se sustentandam ignara, ne fame certò certius pereat , juvenis nobilis domum adit , per totum annum ejus explendæ libidini inserviens. Modò conscientiæ mortibus lacerata serio vult ab illo separari , ut animæ consulat. Sed , quid misera incipiat ? si discedat , fame moraliter certò peribit ; si permaneat : aut in honestis peccatis obtemperare , & sic in continuo statu peccati mortaloris vivere debebit: aut non obtemperans infallibiliter domo expelletur, sic denuo fame peritura. In hoc casu tenetur ista puella unicui apprehendere medium , nempe talem relinquendo domum , etiam si fame peritura sit. Ratio est evidens : homo enim tenetur ad vitandum peccatum mortale , ac malum intrinsecum , etiam cum periculo vitae ; sed hæc puella in data hypothesi peccat mortaliter , dum persistit in proposito luxuriandi , neque desistere potest ab eo proposito , nisi domo egrediatur , eò ipso , quod , si velit manere , debeat in peccatum consentire , ut supponitur ; ergo tenetur ab eo proposito desistere , deferendo illam domum , etiam cum evidenti periculo vitae. Ceterum tali puellæ regnum Dei , & suam salutem quærenti , Deus providebit : vel , si miseram famem mori

mori contingat, in hoc tamen felix erit, quod, ne Deum suum amplius offendat, mori non solum parata fuerit, sed etiam maluerit. Nec dicas, quod per hanc doctrinam detur ansa incurandi alia pericula peccandi, v. g. furandi, desperandi, &c. nam hoc fit per accidens; cum non sint facienda mala, ut eveniant bona, seu talis evitatio majoris mali, ut minus malum in tali casu evitari possit. Et ex his facilè resolvi poterunt alij quicunque casus de constitutis in occasione formali proxima peccandi necessaria, periculum certum peccati inducente.

95. Resp. III. Quando occasio formalis proxima est involuntaria, seu necessaria necessitate moralis, & inducit periculum peccati probabile tantum, tenetur quidem aliquis talem vitare, non autem deserere. Ita in re communiter DD. Ratio primi est: quia iuxta dicta ly *vitare*, afficit occasionem atque circumstantiam intrinsecam, quæ in tali casu, quando nempe adeat solummodo periculum probabile peccati, tolli potest, eò ipso, quod non importet necessariam connexionem cum futuritione peccati. Adeoque supponitur, quod constitutus in tali occasione adhuc vincere valeat suos pravos habitus, & consuetudines, refranare passiones, atque naturam in malum proclivem, per firmum propositum, ac gratiam divinam cooperantem fragilitatem suam corroborando, tentationibusq; resistendo. Ratio secundi est: quia ly *deserere*, afficit occasionem extrinsecam,

quæ , sublatâ dictô modô occasione intrinsecâ , non amplius causat , vel inducit periculum morâliter certum , connexionem cum peccato habens : consequenter ex morali necessitate in ea constitutus talem deserere non tenetur. Hinc

96. Infertur , & ex dictis evidens apparet disparitas inter hanc & priorem Responsionem : quia cum periculo probabili non infallibiliter coninxim est peccatum , sicuti cum periculo certo : neque in hoc contradicitur Respons. II. ad Quæsitionem III. hujus Sectionis ; ubi dictum est , quod quilibet sub peccato mortali devitare , ac deserere teneatur occasionem formalem proximam , periculum probabile peccati inducentem , ex hoc fundamento : quia tale periculū quoad hoc æquiparatur periculo certo , quatenus tam hoc p̄imum est præsens malum animæ , quam secundum ; cum in existendo sit æquè certum , ac alterum . Nam contra est : licet in existendo quoad circumstantiam extrinsecam , seu objectum illud inducens ad peccatum , sit æquè certum , quam alterum ; non tamen quoad circumstantiam intrinsecam , quæ per media competentia auferri , aut saltē impediri potest ; & sic eâ sublatâ , vel impeditâ , non amplius adest tale periculum formale peccati , sicuti prius . Econtra eō ipso , quod in altero casu non possit illa circumstantia intrinseca tolli , vel impediri , necessariò ac infallibiliter oritur exinde certum periculum formale peccati , atque ipsum peccatum , quod necessariam connexionem habet cum illo ; consequenter

quenter nunquam licitum est, manere, vel se committere tali periculo; cū hoc nihil aliud esset, quām velle ipsum peccatum. Nec obest, quod talis in occasione formalī proxima involuntaria, periculum tantummodo probabile peccati inducente, constitutus səpiùs peccet: quia ad hoc, ut non tecumatur deserere talem occasionem involuntariam, non requiritur, ut non amplius peccet, sed ut adhibeat sufficientem diligentiam, atque efficacem conatum amovendi ac tollendi dictam intrinsecam circumstantiam, & sic ex occasione proxima faciendi remotam.

97. Quæritur VII. Quænam necessitas moralis requiratur, ut aliquis sine peccato possit manere in occasione formalī proxima involuntaria, periculum probabile peccati inducente? Resp. I. Ad hoc non sufficit quælibet necessitas apparens, ficta, simulata, vel imaginatoria; sed debet esse vera, realis, seu à parte rei existens. Ita communiter DD. Ratio desumitur ex Decreto Innocentij XI. hanc Propositionem, ordine 62. damnantis: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.* Unde constat, quod non sufficiat quæcunque causa, quamvis sit utilis & honesta, sed requiriatur causa gravis, urgens, &c.

98. Infertur I. Concubinarius nullo titulo utilitatis potest servare apud se concubinā, v.g. quia est optima œconomia, fidelis serva, atq; utilis, præser-
tim in rebus domesticis ordinandis, conservandis,

pro lucro ex negotiatione , mercatura reportando,&c. cui similis non facile haberi nequit. Ideo que ab Alexandro VII. sequens Opinio, ordine 41. damnata quoque fuerat: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hac nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis agrearet vitam, & aliae epule tedium magno concubinuum afficerent: & alia famula nimis difficile inveniretur.* Ratio est: quia in his ac similibus casibus nulla invenitur vera necessitas moralis excusans à dimissione occasionis proximæ peccandi extrinsecæ : & melius est, aliquam jacturam pati in bonis temporalibus, quam in bonis spiritualibus gratiæ, atque salutis. Imò si quælibet talis causa sufficeret, vix casus esset assignabilis, in quo non posset reperiri aliqua causa, aut honesta, aut utilis de non fugiendo aut deserendo occasionem proximam peccandi extrinsecam : quod utique vergeret in deplorabilem ac irreparabilem animarum jacturam.

99. Infertur II. Non est sufficiens causa, atque vera necessitas moralis , à deserenda occasione proxima peccandi extrinseca deobligans ; & quidem respectu famularum : quando relinquendo domum concubinarij , ubi sunt in servitijs, nequeunt æquè bonum ac sibi conducentem famulatum acquirere ; vel per hoc ipsarum parentes, consanguinei , &c. concubinarij gratiam , favorum , honoraria , &c. propter concubinam ipsis præ-

præstata amitterent. Respectu famulorum: quando apud alios artifices atque magistros non ita se in sua arte perficere possunt, quemadmodum in domo, ubi sunt in occasione proxima peccandi constituti; vel non tam magnum salarium, atque mercedem alibi habere queunt. Respectu studiorum: quando in alio convictu non adeo bona accommodatio quoad victimum atque habitacionem invenitur. Respectu Dominarum, præsertim viduarum: quando dimissô famulô concubinariô non æquè diligentem, peritum, ad œconomiam atque res domesticas gubernandas conducentem habere queunt. Limita tamen: si tali dimisso, in his regionibus, ubi certa aliqua ars est valde rara, omnino nullum longo tempore invenire possent hujusmodi artis gnarum, & sic cum tota sua familia maximum detrimentum, aut penitus quotidianaæ sustentationis penuriam pati deberent: quamvis, non obstante aliqua alia causa impeditente, consultiùs, imò necessarium esset, ut similes viduæ talem sibi matrimonio jungerent.

100. Resp. II. Tunc habetur vera ac realis necessitas moralis, stante qua aliquis non obligatur occasionem peccandi proximam extrinsecam deserere, quando hoc facere nequit absque gravissimo, vel saltē valde gravi detimento sive corporali, sive spirituali, v. g. vitæ, famæ, honoris, divitiarum, & similium; aut etiam sine magno scandalo. Ita Layman, Bonacina, Suarez, Reginaldus, Sbogar, & alij communiter. Ratio est: quia tale detri-

detrimentum inducit moralem impossibilitatem; ad impossibile autem nemo tenetur: hinc cap. 4. de Reg. Juris dicitur: *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.* Deinde necessitas moralis & Theologica æquiparantur necessitati physicae; consequenter qui moraliter devitare nequit occasionem proximam peccandi, idem erit, ac si physicè vitare non possit. Quare bene argumentatur Layman à Sporer adductus; vel præceptum deserendi occasionem formalem proximam peccandi est affirmativum, vel negativum? Si affirmativum: ergo tunc manifestè liquet, non obligare in tali necessitate. Si negativum; ergo tantum obligat, ne quis ultiro ac voluntariè in tale periculum se coniijciat, aut in eo persistat: quod tamen non sit, quando adest necessitas moralis.

101. Infertur I. Si concubinarius propter ejectionem concubinæ reduceretur ad extremam, vel quasi extremam necessitatem, v. g. quia illâ remotâ deberet agere vitam miserrimam ex eo, quia vivit ex medijs concubinæ: vel quia ex tali ejectione sequeretur gravissimum scandalum, præfertim apud simplices & plebeios, qui statim suspicarentur, rem non bene se habere: vel quia aliquis propter talem ejectionem incurrit periculum occisionis, gravis mutilationis, &c. à consanguineis concubinæ. In his & similibus casibus videtur adesse impossibilitas moralis deserendi occasionem proximam peccandi.

102. Infertur II. In proxima occasione peccan-

di

di constituti non tenentur eam amovere, si ad persistendum in illa moveantur à metu gravi incusso, v. g. gravis mutilationis, mortis, exilij, longi carceris, amissionis notabilis famæ, aut honoris; ut si concubina ejecta animo vindicativō concubinarium apud omnes alijs bona estimationis, reputationis, atque authoritatis, ubique propalaret, diffamareret, traduceret. Insuper, quando valde grave detrimentum pateretur in bonis temporalibus, divitijs, &c. hæc enim omnia spectant ad necessitatem moralem. Dixi notantur, *grave damnum*; secus enim esset, si incurreretur detrimentum leve, vel non adeo grave respectu talis personæ, quæ patitur illud. Ne tamen aranea nocivum ex salubri flore trahat venenum;

103. Infertur III. & dicta limitantur primò. Quando talibus concubinis ab alijs nulla adhibeatur fides. Limitantur II. Quando concubinarius alijs jam in tali materia est diffamatus, ac ubique ferine notorius. Non tamen, quando aliqualiter est tantum suspectus, cùm tali modo adhuc sit in possessione bonæ suæ famæ, quam per taletum diffamationem totaliter deperderet; maximè si esset Superior, vir magnæ authoritatis. Limitantur III. A potiori tales concubinarij alio bono, facili & congruo modo concubinas possent dimittere, sine omni gravi exacerbatione, indignatione, ac commotione; dummodo seriam se emendandi, atque occasionem proximam deserendi haberent voluntatem: si nempe aliunde ansam

eadem dimittendi arriperent, v.g. ob aliquem notabilem errorem, intimationem secretam ac energeticam, quod ex mandato Confessarij, admonitione Superioris, ratione scandali, immo ob aeternae damnationis periculum dimittere necessitentur. Aut, si vires suppetunt, promoteantur tales personae ad honestum aliquod matrimonium, honorificum servitium, officium. Ideoque si talia media deserendi occasionem proximam peccandi extrinsecam in promptu sunt, & tamen non deseruntur, neutquam judicandum erit, adesse veram necessitatem moralem, a dicta obligatione excusantem.

104. Infertur IV. & ex ista doctrina generali unus vel alter casus particularis deducitur. Famulus, vel famula in proxima occasione peccandi extrinseca constituti, quando totaliter privarentur suo salario (utpote in quo unico omnes ipsorum divitiae consistunt) a dominis vel dominabus praepotentibus, contra quos implorare non licet auxilium judicis, vel si sumptus in acquirendo salario excessivi fieri deberent in judicio; si ob defectum alterius famulatus honeste se sustentare non possent: si parentes, vel consanguinei ipsorum ingens paterentur damnum, v.g. privationem officiorum. Pariformiter Medici, Chirurgi, balneatores, & alij hujusmodi, dum in suo munere exercendo ferme semper quomodo cunque demum graviter labantur; & sic de ceteris: tales non obligantur relinquere servitium, vel officium suum,

suum, tanquam occasionem peccandi, utpote constituti in vera necessitate morali.

105. Infertur V. Insuper frequentissimus casus esse poterit de prædictis servitalibus, famulis, vel famulabus, in proxima occasione peccandi constitutis, qui ob gravissimas causas suum servitium non statim derelinquere possunt, v. g. quando ad certum tempus sunt conducti, & sic, priusquam aliquot septimanis antea famulatu se abdicent, ac dimissionem petant, ex servitio discedere non licet: quando ad removendam suam occasionem proximam peccandi sedulò inquirunt, ac sibi prævidere volunt de alio honesto servitio, nullū verò aliud, priori dimissō, continuò invenire queunt; sed potius adhuc magis periculosam domum accedere, aut mendicare coguntur. Imò non raro tales personæ, maximè fœminæ, per hoc luridæ, ac omnino meretriciæ vitæ exponuntur: & sic de pluribus alijs circumstantijs, de quibus prudens Confessarius judicare debet, utrum sint rationabiles ac ponderosæ, nec ne. Hi namque saltem ad aliquod tempus (servatis servandis, ut statim dicetur) à Confessarijs relinqui poterunt in occasione proxima peccandi extrinseca ob eandem rationem: quia tam bene constituuntur in vera necessitate morali, quàm præcedentes. Attamen ut hæc, & similia licet ac sine peccato fiant;

106. Quæritur VIII. Quomodo tales ob necessitatem moralem in occasione proxima peccandi extrinseca persistentes debeant esse constituti, ut in

in eadem sine peccato mortali manere valeant?

Resp. Quinque potissimum conditiones talibus necessariò observandæ veniunt. 1. mò, In illis sit vera animi resignatio, atque voluntas parata deserendi illam occasionem, si commodè possent, & quamprimum commodè poterunt. 2. dò, Vera pœnitudo peccatorum præteriorum in ejusmodi occasione commissorum. 3. tiò, Verum ac firmum propositum de cetero in ea occasione non peccandi. 4. tò, Omnem possibilem conatum adhibeant, ut ex occasione proxima faciant remotā. 5. tò, Debet in ipsis esse spes firma, ac fiducia specialis, quòd adjuvante divina gratia (cui cooperando omnia possumus) deinceps valeant abstinerè à peccato in ea occasione: nam qui certò crederet, vel putaret, impossibile sibi esse, in tali occasione abstinere à peccato, deberet eam omnino deserere, non obstante quacunque difficultate, incommodo, atque detramento, ut suprà jam dictum, & probatum est.

107. Quæritur IX. Quomodo aliquis ex occasione proxima peccandi possit, ac debeat facere remotam? Resp. Tunc ex occasione proxima sit remota, quando remanet quidem illud extrinsecum objectum, seu extirpata circumstantia ad peccandum inductiva, ipse tamen involuntariè in ea constitutus ex parte sua omnia illa removere, impedire, corriger, &c. possibiliter laborat, quæ sunt altera concusa inductiva, nempe occasio intrinseca: ut si v. g. passiones suas refrænat, consuetu-

fuetudines pravas deponit, naturam depravatam corrigit, illud objectum extrinsecum possibiliter averatur, atque devitat: nec non, quando v. g. complicem domini habet, nimiam familiaritatem, atque blanditias cavet, solus cū sola, nocturno praesertim tempore, in eodem loco, &c. non commotatur, in pōtu sibi temperat, de quibus plura in ultima Sectione. Cæterum ratione dictorum compendiosa ac universalis ponitur regula, atque

108. Infertur. Semper vitari debet occasio proxima peccandi alterutrō ex his modis, nempe vel auferendo circumstantiam & occasionem extrinsecam, si possibile sit; vel, stante necessitate physica aut morali, auferendo saltem circumstantiam atque occasionem intrinsecam, manente extrinseca: siquidem unā ex his sublatā, non manet amplius vera occasio formalis proxima peccandi adæquata, inducens periculum certum vel probabile peccati; sed vel evadet occasio remota, si cesset occasio intrinseca; vel sublata occasione extrinseca, erit mera fragilitas ac proclivitas intrinseca peccantis. Interim tamen, nulla urgente necessitate ut plurimū vitari debet occasio formalis proxima peccandi (ut bene advertit Joannes Euphrates in sua Cynosura Neo-Confessorum) tollendo nempe circumstantiam extrinsecam; & non sufficeret conari ad tollendam circumstantiam inttinsicam. Ratio est: quia licet ex hypothesi, quod tollatur occasio intrinseca proprijs

actibus, refrænatione v. g. suarum passionum , ac naturæ correctione,&c. non sit necessarium tollere occasionem extrinsecam, eò ipso, quòd siat remota : nihilominus tamen ut plurimū, attentis circumstantiis practicis, talia non sunt hic & nunc media apta , ac sufficientia ad vitandum periculum intrinsecum , non quòd homo nequeat resistere occasioni, & vitare peccatum absolute loquendo; est enim liber : sed quia reperiuntur in illa circumstantia tot incentiva ad peccandum, & in tali homine tanta fragilitas ac propensio ad peccatum, ut in illa circumstantia vel non sit ex sua libertate usurus dictis medijs ; vel quamvis utatur, ineffecta certamen , ita ut insufficientia hic & nunc evadant ad resistendum.

109. Quæritur X. An liceat directè se committere , & exponere occasiōni formalī proximā peccandi ob bonum spirituale vel temporale propriū, aut proximi ; præsertim quando aliquis ad vertit occasionem extrinsecam valde allicientem, ac inducentem ad peccandum , ac insuper agnoscit propriam suam fragilitatem , atque in malum proclivitatem ; & sic prævidet, vel rationabiliter prævidere potest periculum certum , vel saltem probabile peccati ? Resp. Nunquam est licitum regulariter loquendo quærere directè, seu exponere se occasiōni proximā peccandi. Ita defacto communiter DD. Ratio patet partim ex Decreto Innocentij XI. Propositionem 63. reiijcientis, quæ sic sonat : *Licetum est, querere direc-*

Etè occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. Partim ex hoc: quia nunquam est licitum peccare; sed querere directè occasionem proximam peccandi, seu eidem se exponere, est peccare; cùm nihil aliud sit, quām liberè velle periculum certum aut probabile peccati, quod juxta dicta est peccatum; consequenter talis se ita exponendo peccat. Ex quo patet, quòd aliud sit occasionem peccandi pati, aliud voluntariè, & sine necessitate eidem se exponere. Primum juxta dicta aliquoties non est peccaminosū; Secundum verò regulariter semper est peccatum. Nec obstat 1. mō, quòd talis directè non velit periculum peccandi, sed tantum intendat bonum spirituale aut temporale proprium, aut proximi: siquidem non sunt facienda mala, ut eveniant bona: querere autem directè occasionem proximam peccandi etiam pro bono spirituali vel temporali, est malum, quia volitum; consequenter tale periculum peccandi propter nullum tale bonum querere licitum est: *Quid enim prodest homini* (ait Salvator Matth. 5.) *si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Nec obest 2. dō, quòd Sancti viri multoties se exposuerint occasione proximæ peccandi ad peccatores v. g. meretrices convertendas: negatur enim suppositum, quòd tales se exposuerint occasione proximæ peccandi; cùm ad hanc juxta dicta requiratur non tantum objecrum, & circumstantia extrinseca, sed etiam in-

intrinseca; quam illi per suos heroicos actus mediante speciali gratia, assistentia, ac inspiratione divina abstulerunt: qualem tamen carentiam occasionis intrinsecæ non quilibet in seipso, utpote homine omnino fragili, temerariè præsumere debet. Nec obest 3. tiò, quòd fieri possit, imò sèpiùs accidat, fœminam catholicam matrimonio jungiviro infideli, vel hæretico propter ingens bonum inderesultans, v. g. propter regnorum salutem, vel publicum catholicæ Religionis exercitium, &c. in his autem ac similibus eventibus utique quæritur directè occasio proxima peccandi; datur enim in his periculum perversionis. Contra est: quia nihil horum intendi poterit, etiamsi ad sit urgentissima causa, si interveniat periculum formale peccandi, certum vel probabile. Si tamen ad sit causa, illam occasionem moraliter involuntariam reddens, adhuc quis obstringeretur ad tollendam occasionem intrinsecam, & sic ad extenuandum periculum formale peccandi, quantum potest; ut suprà dicebatur de constituto in occasione voluntaria peccandi. Hinc

110. Infertur. Non licet simplicibus malè fundatis aut infirmis in fide disputare, sermocinari, imò nimium conversari cum infidelibus ratione Religionis, atque Articulorū fidei; ut cum Turcis, Judæis, hæreticis, &c. quia taliter se constituunt in occasione proxima subversionis; siquidem experientia constat, quòd ex nimia familiaritate præcipue hæretorum tales paulatim deficiant, vel

vel in toto , vel saltem in parte à Catholicismo ; ut videmus in famulis atque ancillis in locis Acatholicon longo tempore famulantibus.

111. Quæritur XI. An , & quando Confessarius aliquem in occasione formalí proxima peccandi constitutum possit , ac debeat absolvere ?
 Resp. I. Ille nequit absolvī etiam prima vice , qui est constitutus in occasione proxima voluntaria , seu quam dimittere potest , & tamen sine omni rationabili causa non vult dimittere ; etiamsi firmiter proponat , atque Confessario promittat , quòd imposterum omne peccatum devitare velit. Ita defacto communior ac probabilior DD. Ratio patet 1. mō , ex Decreto Innocentij XI. hanc ordine 61. Propositionem damnantis : *Potest aliquando absolvī , qui in proxima occasione peccandi versatur , quam potest , & non vult omittere.* Bene notentur verba , potest aliquando ; quia Pontifex non tantūm damnat sententiam afferentem , quòd talis semper absolvī possit ; sed etiam illam defendantem , quòd aliquando possit absolvī ; consequenter vult indicare , quòd nunquam liceat absolvere , nec etiam prima vice illum , qui potest , & non vult omittere occasionem proximam peccandi. Ratio patet 2. dō exinde : quia nullus manens in statu peccati mortalis potest absolvī : cùm ergo talis in occasione proxima peccandi constitutus tamdiu maneat in statu peccati mortalis , quamdiu eam devitare non vult , cùm tamen faciliter possit ; eò quòd non velit ponere ea , quæ

Speciant ad salutem spiritualem animæ : consequenter absolvı nequit etiam prima vice. Nec sufficit firmum propositum imposterum non peccandi ; eò ipso enim , quod nolit relinquere illud, cum quo peccatum moraliter necessariam habet connexionem, scilicet occasionem proximam peccandi ; nequit illius propositum dici verum & efficax se emendandi. Ex quo patet , quod concubarius habens concubinam , quam faciliter potest , & tamen non vult expellere , licet proponat , & promittat , se imposterum cum illa non amplius peccaturum , non sit absolvendus. Et sic de alijs in occasione proxima peccandi voluntaria , quam possunt , non tamen volunt dimittere , constitutis est discurrendum.

112. Infertur. Neutquam amplectenda videatur illa doctrina alicujus Authoris insigniter docti , dicentis , quasdam puellas plebeias ac rusticanas in Germania absolvı posse , etiam non habentes voluntatem , ac propositum , nunquam amplius suum procum admittendi in lectum , dum asserunt , inter sex aut septem vices , quibus admiserunt , imò à potiori non solere , vel semel aliquid male agere ; ideoque occasionem illam respectu talium debere censeri remotam juxta hunc Authorem ; neutquam , inquam , ista doctrina amplectenda , sed potius reijcienda videtur : cum plurimque interveniant oscula , aspectus , tactus , aut saltē cogitationes morosæ , desideria , ac commotiones turpes ; quæ forsitan tales rusticani homines

mities ex ignorantia crassa non apprehendunt esse peccata. Imò, si omnia ista absint, hoc tamen cohonestari neutquam concedi debet, vel potest à Confessarijs, sed potius isti pœnitentes, si talia devitare recusent, tanquam indispositi absolvi non sunt; quia ad constituendam occasionem proximam peccandi non requiritur, quòd semper, vel quasi semper peccata fiant in ea, sed quòd ex se inducat ad peccandum; ut suprà dictum est. Eâdem ulnâ mensurari debent frequentissimi accessus ad fenestras (uti communiter vocant) nocturno tempore sine arbitris; ubi plerumque & ferme semper intercedunt colloquia in honesta, oscula lasciva, tactus turpes, &c. Hinc omnino laudabilissima, ac piissima essent Statuta illa jam sæpius renovata, præsertim in Bavaria, quibus similes frequentissimæ, ac quotidianæ visitationes, atque valde suspecti ad fenestras accessus juvenibus rusticis gravissimè prohibentur: dummodo seriæ executioni mandarentur, & non potius à multis Superioribus tales innocentiae corruptelæ dissimularentur, quasi pro joco haberentur, aut ex alijs motivis non adeo bonis ac justis passim permitterentur. Eò deum impunita, infrænatæ juventutis petulantia pervenit, ut sibi magno dederi ducant, non habere amasium, vel amasiam, cum quibus tales peccaminosas conversationes, ac visitationes instituant.

113. Resp. II. Ille, qui est in occasione formalí proxima peccandi notoria, & quidem cum scan-

dalo aliorum , constitutus , nequit absolvī , nisi priūs amoveat illam ; non obstante , quod promittat , se velle amovere . Ita Navarrus , Sporer , Cardenas , & alij . Ratio est : quia quilibet sub peccato mortali obligatur quamprimum tollere grave scandalum à se positum ; consequenter etiam talis , præsertim concubinarius . Imò concubinarius à Concilio Trid. Sess. 24. cap. 8. excommunicationi subjici jubetur , nisi post trinam admonitionem ab Episcopo sanctam , in hoc se emendaverit .

114. Resp. III. Regulariter loquendo nequit absolvī in occasione proxima peccandi voluntaria constitutus , de quo utope jam sàpius ad eandem deserendam admonito , sed propositi ac promissionis suæ semper fœdisrago , Confessarius rationabiliter dubitare potest , an habeat sufficiens propositum se emendandi , atque dictam occasionem serio deserendi . Ita communiter DD. Ratio est : quia nunquam licet Sacramentum Pœnitentia exponere periculo nullitatis ; sicuti tamen in tali casu contingeret tam ex parte Confessarij , prout considerant patet ; quam ex parte ipsius pœnitentis : si enim ante Absolutionem non removeat dictam occasionem , cum tamen per experientiam sciat , se solere talia proposita semper ac semper mutare ; è ipso exponit se periculo proximo , postea iterum non removendi , aut saltem non statim , ad quod tamen sub peccato mortali tenetur ; consequenter ita se exponens tali periculo peccati

mortalis, eò ipso peccat mortaliter: & sic quoque ex parte ejus Sacramentum Pœnitentiæ exponitur periculo nullitatis,

115. Infertur. Signa, atque rationes, propter quas Confessarius rationabiliter dubitare potest de vero, ac firmo proposito pœnitentis, potissimum sunt istæ. 1.mò, Si nullam prorsus rationem habeat manendi in tali occasione. 2.dò, Si media ac remedia à Confessarijs præscripta applicare non soleat. 3.tiò, Si talis occasio externa conjuncta sit cum vehementi passione, cum habitu vitioso, vel cum forti tentatione; ratione quorum (ut experientia jam docebat) certò certius faciliter ad quemlibet occursum ac temptationem, suam occasionem denuo retinebit.

116. Resp. IV. Ille in proxima occasione peccandi voluntaria constitutus, de quo Confessarius prudenter, ac rationabiliter judicare potest, quod habeat saltem defacto verum ac sufficiens propositum se emendandi, atque dictam occasionem statim amoyendi, non tantum primâ, sed etiam secunda, tertia, imò ulteriori vice absolvi poterit. Layman, Sporer, Viva, Hozes, Gobat, La Croix, Joannes Euphrates in sua Cynosura Neo-Confessorum, aliquique plures. Ratio est: quia, quotiescumque pœnitens est rite dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum, Absolutio Sacramentalis impendi potest, imò debet; cùm ergo talis in nostro casu sit ita dispositus, quatenus habet verum dolorem de suis peccatis, atque pro-

positum omnia peccata devitandi , ac proximam occasionem continuò deferendi , nec non Confessionem integrum deponat , cum debita satisfactione (uti supponitur) quæ ad tribuendam Absolutionem requiruntur , ac sufficiunt ; consequenter talis absolvī potest , ac debet.

117. Nec dicat Cardenas in sua Crisi Theologica primo , quod hujusmodi sententia damnationi Pontificiæ subjaceat , utpote coincidens cum hac Propositione damnata : *Potest aliquando absolvī , qui in proxima occasione peccandi versatur , quam potest , & non vult omittere :* Siquidem hoc tantum est datum , nempe dicere , quod liceat absolvere talem pœnitentem , qui potest , & tamen non vult occasionem proximam omittere ; non autem hoc est datum , quod liceat absolvere illum , qui potest & insuper vult omittere , quatenus habet firmum propositum , statim amovendi occasionem , de quo loquitur nostra Responsio . Imò neque ista Sententia est virtualiter damnata : nam illud secundum ipsummet Cardenas damnatur virtualiter , quod est antecedens , unde evidenter inferatur Propositio formaliter damnata : cùm ergo ex hoc , quod possit bis , ter , imò saepius , qui versatur in occasione proxima , quam potest omittere , & efficaciter quoque vult statim post Absolutionem deferere , non inferatur evidenter , imò nec probabiliter , posse absolvī in occasione proxima constitutum , quam potest , & non vult omittere , ut cuilibet bene consideranti

pater;

pater; consequenter neque virtualiter nostra Responsio damnatur. Unde est magna differentia inter ista duo, posse aliquem absolvit in proxima occasione peccandi constitutum, dum habet firmum propositum omittendi illam: & posse aliquem absolvit in proxima occasione peccandi constitutum, qui non vult deserere, seu non habet propositum deserendi. Secundum damnatur: non autem primum. Nec dicat Cardenas 2. dò, quod talis in occasione proxima constitutus, v. g. concubinarius, sit actualiter in statu peccati mortalis; & sic in tali statu reciperet Absolutionem, eò magis, cum se denuo exponat evidenti periculo mortaliter peccandi. Nam contra est, & negatur suppositum, quod talis reciperet in statu peccati mortalis Absolutionem, & sic sacrilegè suscipere Sacramentum Pœnitentiae; cum ponat omnia essentialiter ad illud requisita, nempe contritionem, Confessionem, propositum ac satisfactionem; uti supponitur. Nec obest, quod hucusque retinetur occasionem proximam: quia hoc modò delet per suam seriam pœnitentiam, ac sinceram voluntatem eandem deserendi. Multò minus obstat, quod occasionem atque periculum peccandi protunc, quando actualiter peragit Confessionem, retineat: cum enim ipse sit in Ecclesia provolutus ad pedes Confessarij, nequit utique eam actualiter amovere, v. g. concubinam domi existentem ejercere. Quod autem non sit retenturus, suum firmum adest propositum eam deserendi; & sic ne-

que

que se exponit periculo peccandi, eò ipso, quod certò tale periculum peccandi sit amoturus. Nec dicat 3. tiò Cardenas, quod præceptum non retinendi occasionem proximam, utpote negativum, obliget semper ac pro semper; consequenter etiam eo tempore, quo talis in occasione proxima constitutus, v. g. concubinarius, facit Confessionem; quæ tamen obligatio non impletur pro tunc, retinendo occasionem proximam peccandi: negatur enim denuo, quod talis non impleat hujusmodi præceptum negativum deserendi occasionem. Et licet pro tunc nequeat implere hoc præceptum negativum removendo dictam occasionem extrinsecam actualiter; implet tamen auferendo suo firmo proposito periculum intrinsecum, cum firma intentione amovendi quoque statim periculum extrinsecum. Neque periculum aliqualiter remotum infringendi propositum obstat Absolutioni impertiendæ: alias nunquam absolvi possent concubinarij quoque in occasione proxima necessaria retenti, nec non alij magni peccatores: quia similiter de his prudenter suspiciari potest Confessarius, quod, licet tunc firmiter proponant, sint tamen postmodum mutaturi propositum, ac proinde peccaturi. Quapropter ad Absolutionem impertiendam sufficit, quod tunc habeatur firmum propositum impostorum non peccandi, ac obligationem suam implendi, nempe amovendo suam occasionem proximam. Nec obstat prævisio futuri peccati; hac enim stante

ex certis motivis, stare adhuc poterit propositum efficax non peccandi, ac occasionem deferendi; cùm hoc sit actus voluntatis: prævisio autem de peccato futuro, actus intellectus. Dicitur tamen notanter in Responso, *de quo Confessarius prudenter ac rationabiliter judicare potest*; ut quando pœnitens exhibeat extraordinaria signa sui propositi, enervantia vehementer suspicionem priorem Confessarij, à communi experientia exortam: secus enim (ut in præcedentibus Respositionibus dictum est) sine Absolutione talis regulatiter dimittendus esset, usquedum occasionem proximam peccandi actualiter removet.

SECTIO IV.

De Remedijs, quæ Medicus spiritua-
lis, Confessarius, Recidivo in occasione proxima
peccandi constituto applicare potest, ac de-
bet.

118.

Periculosissimus quidem morbus, atque ad mortem æternam proximè disponens, est Recidivitas in illo, qui in occasione formaliter præsertim proxima ac voluntaria peccandi est constitutus. Attamen hoc periculum non raro summè augetur aut culpabili Medici spiritualis, Confessarij, neglectu, aut indiscreto, imprudente, ac nocivo curationis modo; dum aliqui Confessarij remedia passim molliora, & externam cu-

tem

tem tantum tangentia admovent; nusquam verò ad radices manum mittunt, contenti palliata quādam medicatione, ac imitantes eos, qui exteriore stibio, & purpurissà intus latentem fæditatem contegunt, atque candido linteo exulcerata obvolvunt ulcera, non cogitantes illa aliquando majori eruptura cum damno, imò vicina quoque, ac intima demum animæ pestilenti sanie infectura. Hinc sit, ut tales recidivi, dum non persentisunt mala, quibus in dies magis, magisque immerguntur, labantur in deterius, & prius ipsum lapsum, quām periculum sentiant, sera post ruinam medicatione, etiam per alios peritiores Medicos adhibendâ. Alij verò ab ustulationibus indiscretæ severitatis medicationem inchoant, cùm tamen à mitioribus curatio sit instituenda; nec ad illa veniendum, nisi vis mali molliora respuat, tantâ tamen cautelâ atque prudentiâ Medici spiritualis, ut sentiat æger, non voluntate illius, sed mali necessitate ad illa trahi, sine quibus animæ salus recuperari nequit. Utinam! de multis commune illud adagium non verificetur: *Acessas medicatus est*: utpote qui imprudens Medicus morbos magis augebat, quām tollebat. Sequantur potius consilium, imò præceptum, quod Doctor Gentium dederat amantissimo suo Timotheo Epist. 2. cap. 4. *Insta opportunè, importunè, argue, obsera, increpa in omni patientia & doctrina: cristi enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt; sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros*

gistros prurientes auribus. Attamen ut hoc felicius sequatur;

119. Quæritur I. Quidnam tam ex parte Medicis spiritualis, Confessarij, quam ex parte Recidivi, in occasione proxima peccandi constituti, requiratur, ut hic periculosisssimus Recidivæ morbus radicitus curari valeat? Resp. Easdem regulas, quæ Sectione II. Qualito I. sunt præscriptæ, hic quoque observari convenit tam à pœnitente in occasione proxima peccandi constituto, quam à Confessario: qui tamen excipiendis confessiobus actualiter iam expositus non existimet, se non amplius studio, atque labore indigere, præsertim quoad istum periculosisssimum morbum curandum; sed potius legat, ac relegat Authores utiles de talibus materijs tractantes, nec non consulat viros in Confessionali expertos: *Cum enim videamus* (inquit Angelicus Doctor Opusc. 65.) *Medicos corporum quotidie & legere libros physicales & medicinales, in quibus docetur curare corpora moritura; magna certè stultitia est, non legere libros Medicinales, in quibus docemur curare animas, in eternum viventes.*

120. Quæritur II. An, & quando Confessarius Recidivum in occasione peccandi proxima constitutum non tantum de sua obligatione dictam occasionem deferendi admonere, verum etiam eidem congrua remedia præscribere teneatur? Resp. I. Confessarius sub peccato mortali teneatur, pœnitentem in occasione proxima peccandi

constitutum admonere de dicta obligatione , si ad-
vertat , quod talem aut ex ignorantia culpabili,
aut ex incuria, negligentia, &c. non agnoscat , vel
ex malitia ac pertinacitate non agnoscere velit.
Ita communiter DD. Ratio est evidens : quia
Confessarius non solum agit personam Judicis , at-
que Medici , sed etiam Doctoris , cuius munus
exigit , ut in rebus ad valorem Sacramenti Pœ-
nitentiae spectantibus (uti est obligatio deserendi
occasiones proximas peccandi, præsertim volunta-
rias) ignorantes instruat ; alias sane indispositos
absolveret , & sic Sacramentum redderet nul-
lum , cum proprio ac grayissimo sacrilegii pecca-
to , & summo pœnitentis damno , vindictam suo
tempore coram divino Judice de Confessarijs fa-
ciendam exigentis , quod in rebus aeternam salu-
tem concorrentibus non admonuerint , non in-
struxerint , cuncta dissimulaverint , & sic ater-
num perire permisent , cum tamen ratione sui
officij obligati facili negotio , atque sincera ad-
monitione hoc irreparabile damnum impedi-
potuissent. Non raro quidem pœnitentes male
sentiunt , imò refugere conquirunt manum cu-
rantis : ægtè ferre videntur paternas admonitio-
nes , & adhortationes Confessarij de aeterno dam-
nationis periculo , & peccatorum gravitate , sic-
que invenire atque excogitare student plura effu-
gia , excusationes , tergiversationes , necessita-
res , &c. permanendi in occasione proxima pec-
candi : attamen maximè oportet , quod Confes-
sarius

sarius in hoc puncto prudentiam habeat serpen-
tis, & non solam simplicitatem columbae, quan-
do tales somniant scandala, suspiciones, infama-
tiones, impossibilitates ad resistendum, ad evi-
tandum, &c. cum tamen nihil horum adsit, vel
sequatur; adeoque non est hujusmodi pœnitentia-
tibus facile, ac passim simpliciter credendum:
non enim arbitrio Confessarij permisum est, ut
pœnitentis miseratione motus sinat eum perma-
nere in occasione proxima peccandi præsertim
voluntaria, neque, si permittat, Deo suam proba-
bit clementiam, sed potius sui officij negligentiam.

121. Resp. II. Confessarius graviter peccat, re-
cidivo in occasione proxima peccandi constituto,
congrua ac proportionata non præscribens reme-
dia, quando rationabiliter judicat pœnitentem
illis indigere ad acquirendam vel conservandam
spiritualem animæ salutem. Ita Gobat, noster
Marchantius in suo Tribunali Pœnitentiæ cum
communi DD. Ratio est: eò ipso, quod Confes-
sarius hoc munus in se suscipiat, & pœnitens se
ipsius directioni committat, obligationem gra-
vem sive ex justitia, sive ex charitate contrahit ad
omnia illa præstanta, sine quibus pœnitentis ani-
mæ salus nec recuperari, nec conservari potest;
qualia sunt remedia congrua atque proportiona-
ta; quemadmodum Medicus corporalis gravi-
ter obligatur patienti, qui se ejusdem curationi
submisit, possibilia præscribere remedia ad tollen-
dam infirmitatem conducentia.

122. Quæritur III. Quænam sint remedia generalia, à Medico spirituali, Confessario, Recidivo in occasione proxima peccandi constituto applicanda? Resp. Ne idem bis sine necessitate repetatur, inveniri poterunt potissima talia remedia in Sectione II. Quæsito III. quæ non tantum recidivis consuetudine peccandi infectis, verùm etiam in occasione proxima peccandi constitutis proportionaliter præscribi, & applicari poterunt.

123. Quæritur IV. Quænam sint remedia particularia, à Medico spirituali, Confessario, recidivo in occasione proxima peccandi involuntaria seu necessaria constituto applicanda? Ante Responsionem notandum: cùm juxta Regulam V. Sect. II. Quæsit. I. Medico spirituali, Confessario, præscribatur, quòd non cuilibet recidivo idem remedium ac medicina applicantur, ne imperita Medici manus per incompetentia remedia morbum adhuc curandum, peritissimis etiam Medicis incurabilem reddat: hinc alia & alia remedia pro morbi varietate, atque ægroti dispositione præscribi & applicari convenit. Modò hoc notato;

124. Resp. I. Remedia Recidivo in occasione proxima peccandi necessaria necessitate physica constituto applicanda, sunt sequentia. Quandoquidem, stante hac necessitate physica, tolli nequeat occasio proxima peccandi extrinseca, Confessarius studeat remediis competentibus, prudentibus, atque proportionatis in tali recidivo tollere

tollere occasionem proximam peccandi intrinsecam , corrigendo scilicet pravos habitus , vehementem in certum aliquod vitium proclivitatem , atque naturam in malo inveteratam. In quem finem : I. moderata severitate & efficacia salutarem incutiat horrorem peccati , propositis moti-
vīs , vel suprà Sect. II. Quæsit. III. specificatīs ,
vel alijs, quæ Spiritus sanctus , vel Authores de hac
materia tractantes , aut proprium judicium suspe-
ditabunt. II. Procuret in recidivo efficax propo-
situs sæpiùs repetitum , ac præsertim de manè re-
novatum , tale peccatum , cuius committendi pe-
riculo est expositus , omnibūs vitibūs evitandi.
III. Excitet in illo firmissimam fiduciam in adjuto-
rium Dei , utpote facienti , quantum in se est , gra-
tiam suam auxiliantem non denegantis , & sic in
medio peccandi periculo conservantis ; quemad-
modum tres pueros in medijs fornacis Babylonicae
flammis conservavit incolumes : quod procul du-
bio fiet , dummodo & ipse pœnitens gratiæ divi-
næ cooperetur. IV. Inculcat frequentem memo-
riam Dei ubique præsentis , tanquam severissimi
omnitim malorum vindicis , justitiæ suæ gladium
jam jam vibrantis forsan hæc ipsa hora , hoc ipso ,
quo peccat , momentō , è vivis ad suum Tribunal
evocaturi , & mox pro merito æternæ pœnæ cru-
ciatibus adjudicaturi. V. Proponat Redemptorem
è Cruce pendentem , ac suos recidivo , dum pecca-
te cogitat , labores , dolores , sua vulnera , suum
sanguinem , quem pro eo ad ultimam guttulam

usque profuderat, exhibentem, atque suminam
ingratitudinem exprobrantem. VI. Suadeat ho-
nestam occupationem ad tempus terendum, le-
gendo, laborando, &c. pro cuiuslibet conditio-
ne & statu, ut tali modo & otium devitet, & pra-
vam voluntatem ad alia objecta honesta trahat,
nullamque temptationibus ansam prebeat. VII.
Admoneat, ut recidivus principio cuiuslibet tem-
ptationis quantocyūs resistat; dum aut scintilla pra-
væ cogitationis statim extinguitur, antequam in-
terret, & cor accendat, aut carnis rebellio suppri-
mitur, aut objecti extrinseci illicia heroica virtute
quamprimum retunduntur. Hæc si Medico spi-
rituali bene successerint, integra recidivi sanatio
haud procul aberit; cum sublatâ circumstantiâ
intrinsecâ non maneat amplius occasio formalis
proxima peccandi adæquata, certum aut proba-
bile periculum peccati inducens. Ex quo facile se-
quetur, quod recidivus etiam ipsam occasionem,
ac circumstantiam extrinsecam vel aversetur, &
respuat, vel etiam efficaci admonitione compli-
cem ad meliorem frugem reducat.

125. Resp. II. Remedia Recidivo in occasione
formali proxima peccandi necessaria necessitate
morali constituto applicanda, sunt eadem in priori
numero specificata, aut similia. Quibus addi
poterit frequens Confessio ac Communio: specia-
lis devotio erga Beatissimam Virginem, vel alium
Sanctum: nec non, ut recidivus votum faciat su-
stnendi gravem aliquam pœnam, v. g. jejunando
in

in pane & aqua, dando notabilem eleemosynam, quoties relabi contigerit. Et hæc quoad circumstantiam intrinsecam. Quoad circumstantiam extrinsecam, seu objectum illud ad peccatum alliciens atque inducens, consultissimum, immo necessarium erit, ut recidivus dictum objectum, quod hic & nunc ob necessitatem moralem suprà explicatam, deserere nequit, saltem omni possibili modo deflectat; v. g. si domi complicem seu concubinam habet, nimiam familiaritatem, blandicias, consuetam affabilitatem, aliave externa interioris affectus signa, colloquia non necessaria, conversationes præsertim sine arbitris, nocturno tempore, &c. instituta evitet. Nec incongruum quoque erit remedium pro tali recidivo concubinario, quod Sporer in sua Theologia Morali Sacramentali de Sacramento Pœnitentiarum hisce formalibus insinuat: quando concubina de se non admodum voluntaria est, aut gravatè consentire solet; rediens à Confessione dicat, jam tandem firmissimè statui, mutare vitam: volo ergo, jubeo, & rogo seriò, ut si fortè tentatione vixtus te rursus sollicitavero, resistas omni possibili modo, revocans mihi in mentem mea propolita facta, &c. Præ omnibus autem Confessarius talis recidivi conscientiam oneret, ut cessante necessitate morali quamprimum illam circumstantiam extrinsecam amoveat; ne alias, dum Confessarium fallere putat, se ipsum decipiat, ac in æternæ damnationis periculum coniiciat. Efficaciter simul ad-

moneat, ne fingat, prætendat, studiō inquirat necessitatem moralem, quæ tamen à parte rei non subest: quia sanè similibūs effugiis, fallaciis, prætextibūs, tergiversationibūs, &c. Confessarium quidem, utpote hominem, non tamen omniscium Deum circumvenire poterit.

126. Resp. III. Remedia Recidivo in occasione formalī proxima peccandi voluntaria, seu quam recidivus potest, non tamen vult dimittere, constituto hæc applicanda sunt. Medicus spiritualis non statim de salute illius desperet, sed potiùs eidem imitanda est mansuetudo, ac patientia Christi, quæ peccatores exspectat, & recipit: siquidem illius ars, & industria in hoc non consistit, ut continuò ac paßim tales pœnitentes sine Absolutione dimittat; quemadmodum prudentis Medici non est, ut statim ægrotum reiijciat; alias quicunque deum Medicum, vel Confessarium agere posset, cùm artis non sit, repellere infirmum, sed sanare. Ideoque potiùs studeat Confessarius, ut priùs bonis verbis, efficacibūs moti- vis, adhortationibūs energicis à sua prava intentione, ac voluntate recidivum avertat, antequam penitus desolatum, perturbatum, de sua salute desperabundum, & sic laxatis frænis imposterum se desiderijs suis tradentem repellat. Quia tamen à potiori tales in occasionibus proximis peccandi, præsertim materiae lubricæ, totaliter illaqueati, & implicati difficulter extricari, atque à sua obcæca- ra, ac in voluptatibus, similibūsque rebus penitus

absorpta voluntate vix dimoveri possunt, ad medicamenta duriora, immo ferrum & ignem recurrentem erit. Quapropter talis recidivus terrendus est propositis hominis extremitis, morte, judicio, atque inferno; item periculo aeternae damnationis ob incertitudinem vitae, ob facilitatem casuum lethalium quotidie contingentium. Etiam terror iniici potest proposita Dei iustitia per exempla illorum, quos aeternaliter punivit: item intimata judiciorum Dei abysso inscrutabili, qui juxta multorum gravissimorum Doctorum sententiam unicuique homini certum peccatorum numerum praestituit, quem si impleat, certò privabitur gratia abundantiore, & sic non amplius resurget, aut saltem difficulter, sed propriâ culpâ peribit; unde quilibet meritò timeat, ne novus relapsus, ac novum peccatum sit ultimum, post quod sequatur damnatio aeterna. Caveat, ac pertimescat talis in malo pertinax recidivus illud irati Numinis fulmen: *Vocavite, & renuisti: ego quoque in interiori tuo ridebo.* Si neque per haec, ac similia moveatur recidivus, tanquam indispositus sine Absolutione dimitatur, ac misericordiae divinae ipsum forsitan adhuc illuminanti, atque cor induratum emollienti relinquatur. Dicta tamen semper cum grano salis intelligenda sunt, maximè de protervis, & incorrigibilibus: siquidem non sic terrere convenit animas pusillanimes, vel turbati ingenij homines, ne in desperationem incident: multò minus cum indignatione, zelô indiscretō, scandalo-

sa reprehensione, invasione, &c. repellendus talis recidivus est, sed potius bonis ac discretis verbis admonendus, quod, stante hac intentione, ac voluntate non deserendi occasionem proximam peccandi, quam tamen deserere potest, ac debet, neque ipse ut Confessarius Absolutionem Sacramentalem sine gravissimo peccato sacrilegij, & nullitate Sacramenti dare, nec recidivus sine novo peccato recipere valeat. Vadat ad interim in pace, ac suo tempore per divinam gratiam rite dispositus redeat, & certus sit, quod non severum judicem, sed benevolum patrem in se (Confessario) sit reperturus, qui vera ac sincera mente nil aliud exoptat, quam aeternam poenitentis salutem.

127. Resp. IV. Cum alia remedia dicantur curativa, alia praeservativa, ac conservativa; hinc illi recidivo in occasione proxima formaliter constituto, quam tamen actualiter deseruit, vel saltem statim deserere efficaciter proposuit, pro remedijs curativis maxime conducent, quae tam pro tollenda occasione extrinseca in precedentibus sunt prescripta, praesertim omnis perniciosa cum objecto, persona, re, negotio, officio, &c. ad peccatum allidente vel inducente familiaritas, conversatio, occupatio, applicatio, &c. quam pro tollenda occasione peccandi intrinseca; uti sunt passionum refræratio, naturæ in malum proclivis correctio, habituum vitiorum extinctio, &c. Pro remedijs vero preservativis inter alia magis utilia esse vindentur

dentur ad occasionem extrinsecam totaliter excludendam, ut pœnitens non tantum illa fugiat, quæ de se periculum peccati causare valent, sed etiam illa de se quidem non periculosæ, attamen ut novæ ac nōvæ dispositiones ad periculum peccati inservientia; uti sunt v. g. litteræ neutiquam necessariæ, etiam neutiquam inhonestæ, bene tamen affectuolæ, honoraria, ac similia talibus personis, quæ sibi fuerunt occasio peccandi, alias transmitti solita, &c. isti enim laquei sunt venatorum absconditi, quibus incautæ, & jam semel ab interitu liberatæ animæ non raro iterum capiuntur. Ad cavendam autem occasionem intrinsecam aliqualiter adhuc gliscentem, & suo tempore, nisi præoccupetur, denuo reviviscensem, optimum erit, si recidivus proprijs viribus neutiquam confidat, cum & sapientissimum Salomonem, fortissimum ac prudentissimum Davidem, insuperabilem alias Samsonem, ac novissimis temporibūs maximas Ecclesiæ columnas, vel proprijs suis viribus nimiūm confidentes, vel occasions peccandi debitè non fugientes, turpiter cecidisse noverimus. Econtra verò divinæ gratiæ totaliter innitatur, eandem semper ac semper fiducialiter in hoc suo certamine implorando, qua adjuvante, & ipso cooperante certò certius victor evadet. Non animo desperet de sua emendatione, atque natura in malo inveterata corrigenda: & si millies cadat, continuò resurgat, ac innovet pugnam: ille enim solummodo victus reputatur,

eatur, qui armis & voluntate pugnandi abjectis hosti se tradit. Et quidem post lapsum statim resurgere consultum erit; Confessionem enim diu differre, est eandem difficiliorem reddere.

128. Resp. V. Si Medicus spiritualis, Confessarius, habeat pœnitentem in occasione proxima peccandi constitutum, immo etiam consuetudinum (de quo in primis duabus Sectionibus) & quidem in materijs plurium peccatorum recidivum, non nimium angustietur, si recidivus non continuo omnia emenderet; dummodo ea sint emendata, quæ valorem Sacramenti Pœnitentiae impediunt; ut supra dictum est. Hinc neutiquam necessarium erit, ut cuncta simul vulnera ex integrō curet; sed prius studeat tollere radicem cætorum, aut illia prius peccata emendare, quæ magis sunt scandalosa, periculosa, nociva, &c. usquedum unum post alterum expungatur: vix enim aliquis, etiam fortissimus totum ramorum fasciculum collectivè sumptum confringet; bene tamen disjunctivè, unum nempe post alterum. Immò tales recidivi sunt sèpè laudandi, si quid etiā in minimo emenderint, ac aliquam vim sibi intulerint; similique adhortandi, ut gratiæ divinæ cooperari pergent, quæ eò faciliora reddet omnia, quò tali firmius ac diutiùs inniti conabuntur. Quòd si Confessarius fecerit, quod in se est, totum eventum Deo committat, ad quem solum spectat, convertere animas: unde nec vanè extollatur, si videat consilia, ac remedia sua prodesse; multò minùs

proprijs viribus præcisè adscribat : nec deiiciatur, si minùs proficiant; siquidem & Angeli Jerem. 51. conquerebantur: *Cur avimus Babylonem;* & non est sanata. Denique notat Cardenas in sua Crisi Theologica apud La Croix de Pœnitentia: quando recidivi tam consuetudinarij, quam in proxima occasione peccandi constituti advertuntur, esse verè pœnitentes, ac se emendare incipientes, monendos esse de Confessione generali: prudenter enim timeri potest, ne antehac aliquando confessi sint sine sufficiente dolore, aut proposito; alioquin non tam diu in pessima consuetudine vel occasione hæsissent.

129. Quæritur V. & ultimò. Quomodo Confessarius in imponenda pœnitentia medicinali erga recidivum potissimum in occasione proxima peccandi constitutum se gerere debeat? Ante Responsionem supponitur I. quòd Pœnitentia seu Satisfactio semper requiratur in Sacramento Pœnitentiæ, vel in re, vel in voto; & quidem secundùm quosdam ut pars essentialis; juxta alios verò saltem ut conditio, sine qua non fieret Sacramentum Pœnitentiæ. Supponitur II. quòd juxta Reiffenstuel in sua Theologia Morali de Sacramento Pœnitentiæ Confessarius pœnitentiam designaturus ad duo principaliter attendere debeat, nempe ad gravitatem, ac qualitatem peccatorum, nec non ad pœnitentis dispositiōnem. Supponitur III. quòd inter remedia & pœnitentias à Confessario imponendas sit hæc difference,

rentia, quòd remedia regulariter per modum consilij præscribantur, pœnitentiæ verò per modum præcepti imponantur. Modò

130. Resp. I. Medicus spiritualis, Confessarius, Recidivo præsertim in occasione proxima peccandi constituto talem imponat pœnitentiam ac satisfactionem, quæ eidem est salutaris, ac proportionata. Ita expressè habetur ex Concil. Trident. Sess. 18. cap. 8. sic præcipiente: *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudenter suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes pœnitentias injungere: ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, aliorum peccatorum participes efficiantur.* Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem. Ex quibus verbis Concilij patet I. quòd pœnitentia & satisfactio à Confessario imponenda beat esse salutaris ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; nec non proportionata ad peccatorum vindictam & castigationem pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Patet II. quòd sit aliqua differentia inter ista duo, esse salutarem, & esse proportionatam pœnitentiam: siquidem ratio salutaris attenditur ex parte operis in satisfactionem impo-

nen-

nendi ; ratio proportionis verò consideratur in ordine ad ipsum pœnitentem , ac satisfacientem . Deinde ratio salutaris respicit qualitatem operis injungendi , nempe vel orationis , vel jejunij , &c. Ratio proportionis respicit quantitatem pœnitentiæ injungendæ vel majoris vel minoris pro facultate pœnitentis . Cæterum , quemadmodum juxta dicta alia remedia dicuntur curativa , alia præservativa , aut conservativa ; ita quoque quædam pœnitentiæ sunt curativæ , quædam præservativæ vel conservativæ . Quare

131. Resp. II. Pœnitentiæ curativæ , seu ad cùrandum Recidivum utiles atque salutares , sunt omnia illa , quæ aut occasionem peccandi proximam extrinsecam magis , ac magis elongando removent (& consequenter congruum erit , ut talia quandoque non ut mera remedia per modum consilij , sed simul ut pœnitentiæ per modum præcepti præscribantur) aut quæ occasionem proximam peccandi intrinsecam corrigunt , ac successivè omnino tollunt ; uti sunt respectu recidivi quoad materiam lubricam v.g. moderata jejunia , corporales castigationes atque mortificationes : & sic de alijs peccatis , in quæ aliqua natura est proclivis : siquidem contraria contrarijs curare convenit .

132. Resp. III. Pœnitentiæ medicinales atque salutares præservativæ , aut conservativæ sunt potissimum illæ , per quas copiosiores gratias divinas atque auxilia vel ex opere operato , vel ex opere operantis pœnitens acquirit : quales sunt frequens


Con-

Confessio & Communio, exercitium bonorum operum, implantatio habituum virtuosorum, præcipue contrariorum illi vitio, ratione cuius pœnitens erat recidivus; clargitio eleemosynæ, &c. Et hæc, quatenus pœnitentiæ injungendæ sunt salutares. Sed ulterius

133. Resp. IV. Non sufficit, ut pœnitentiæ sint salutares, sed simul proportionatæ esse debent ipsi pœnitenti Recidivo. In quo tam illi Confessarij errant, qui respectu omnium peccatorum, ac pœnitentium eandem quasi habent mensuram, seu eandem semper imponunt pœnitentiam multoties omnino improportionatam tam gravibus, ac multiplicatis sceleribus: tales profecto agunt non tantum contra Concilium Tridentinum citatum, quod severissimè prohibet, ne Confessarij levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungant: verum etiam contra officium æqui Judicis, boni Medici, ac fidelis dispensatoris mysteriorum Dei. Si Confessarius sine justa causa minimas injungit pœnitentias, nec liberè pro officio suo admonet pœnitentem, in primis dat ipsi pœnitenti scandalum, qui satè advertit, talem Confessarium ex humano respectu remittere de obligatione sui officij. Deinde est causa novorum relapsuum; quia pœnitens sic minus apprehendit gravitatem sui peccati, minusque deterretur. Alij econtra Confessarij errant in altero extremo, nempe longissimas, ac improportionatas pœnitentias injungendo, putantes se optimè suè fungi officiò, dummodo in Rosarijs impo-

imponendis liberales se exhibeant. Media itaque via procedendum est, quatenus Confessarius nec nimia indulgentia peccatoribus recidivis conniveat, & ad vitæ dissolutionem fræna relaxet; nec nimio rigore pœnitentes absterreat. Hinc prudens Confessarij judicium ratione pœnitentiæ imponendæ spectare, ac considerare debet dispositiōnem, & facultatem pœnitentis recidivi: dispositiōnem quidem; quando enim Confessarius prudenter timet, aliquem promeritam pœnitentiam gravem, si imponatur, non impleturum, tunc omnino ejus infirmitati condescendendum erit (dummodo non est talis pœnitentia vindicativa, & curativa, sine qua recidivi sanitas spiritualis neutiquam haberi potest; tunc enim non condescendendum, sed officium veri Medici spiritualis observandum erit) ne ei præbeatur occasio novi peccati quoad omissionem pœnitentiæ, vel ne querat Confessarium, qui nesciat eum curare, vel ne penitus absterreat à frequentanda Confessione, ad quam potius alliciendus esset. Præstat magis (ut inquit Gerson apud Layman) cum parva pœnitentia, quæ tamen videtur esse implenda, ducere pœnitentem ad purgatorium, quam cum magna, ab illo autem executioni non mandata, præcipitare in infernum. Rectè autem talis pœnitens esset commonendus, minorem pœnitentiam injungi solùm ob ipsius imbecillitatem, ut propterea ipsemet deinde spontaneis operibus bonis defectum pœnitentiæ suppleat, & peccata sua non pro parvitate pœnitentiæ parvi faciat.

134. Resp. V. Facultatem quoque ipsius pœnitentis recidivi Confessarius considerare debet. Non enim esset utique proportionata pœnitentia, si illi longæ orationes imponeretur, qui vix tempus habet orandi, aut alias obligatus est ad multum orandum, aut se accusat in Confessionali de omissis saxe longis orationibus pro pœnitentia injunctis? utique improportionata esset pœnitentia, famulis ac famulabus, opificibus, ac alijs laboriosis hominibus, alias de quotidiano victu non adeo bene provisis injungere frequentia jejunia, aut infirmis, imbecillibus, multis negotiis ac officiis occupatis longas peregrinationes? Optimum pondus addet Confessarius pœnitentijs discreta, sincera, energica admonitione, & adhortatione de æternæ salutis periculo, de gravitate peccati, nec non de surno danno, quod quodlibet peccatum mortale infert. Si plura de his desideras, consulte Reiffenstuel in sua Theol. Mor. Tr. 14. dist. 10. q. 2. ubi assignat potissima opera pro pœnitentia salutari injungenda respectu cuiuscunque pœnitentis proportionata: item Stoz in Tribunali Pœnitentiæ, & alios de similibus materijs tractantes. Nobis sufficiat, hæc pauca, ac simplicia folia recta mente & optimo fine elaborata pro aliquali ac compendiosa informatione novorū Medicorū spiritualiū, seu Neo-Confessorum in rebus ad Confessionale spectantibus nondum bene versatorum, atq; sufficienter practiciorū ad manum dare: cum nostrū intentū neutiquā sit expertissimos in Confessionali Magistros instruere; sed potius illorū discipulū agere. PAR-



PARERGA SPECULATIVA:

*De Sacramentis in genere, & in specie,
Sacrificio Missæ; nec non Censuris Eccle-
siasticis:*

AD MENTEM DOCTORIS MA-
RIANO-SIBTILIS JOANNIS DUNS
SCOTI.

1.

Sacramentum ut sic propriè dictum, quatenus importat totum concretum ex esse materiali seu fundamentali, & formali, bene definitur, quod sit Signum sensibile, gratiam Dei, vel effectum ejus gratuitum, ex institutione divina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris. 2. Esse materiale ac fundamentale Sacramenti propriè dicti in omnibus Sacramentis, in fieri consistentibus, componitur ex rebus & verbis vel formaliter, vel equivalenter talibus, tanquam materiam & formam. 3. Quod tamen non verificatur de Sacramento in facto esse consistente, nempe Eucharistia, ubi ad rationem fundamenti essentialiter non requiruntur verba Consecrationis per modum forma. 4. Esse formale Sacramenti est Relatio realis Signi, seu Sacramenti pro materiali accepti, ad suum signatum, seu ad gratiam sanctificantem Sacramentalem. 5. Ista Relatio non est physica, sed præcisè moralis; 6. Denominationem quamdam extrinsecam importans. 7.

K

Etiam

Parerga.

Etiam per absolutam Dei potentiam pure crea-
tura nequit communicari potestas, verè ac propriè
instituendi Sacra menta. 8. Omnia novæ legis
Sacra menta tanquam vera species inter se essen-
tialiter differunt. 9. Atamen remedium peccar-
ti originalis, & circumcisio à Sacramento Ba-
ptismi non nisi accidentaliter distinguuntur: 10.
Sicut inter Sacra menta Euc haristia, Ordinis,
& Matrimonij Statu's innocentie (si perdurasset)
ac nostra ejusdem rationis nulla intercessisset essen-
tialis differentia. 11. Sacra menta propriè dicta
non sunt mera conditiones, quibūs posuit Deus
ponat effectum: 12. Sed vere cause instrumen-
tales gratiæ sanctificantis: 13. Nec non chara-
cteris Sacramentalis: 14. Non quidem physicæ;
sed morales. 15. Tam Theologicæ, quam Philo-
sophicæ loquendo nequit bene salvare vera distin-
ctio specifica Sacramentorum, nisi admittatur,
quod gratia sanctificans unius Sacramenti physicæ
ac moraliter differat à gratia sanctificante alterius.
16. Character Sacramentalis essentialiter
importat & qualitatem aliquam absolutam à
Deo immediate creatam, ac homini impressam;
& relationem specialis ordinationis obligatorię
anima ad Christum. 17. Cujus immediatum sub-
jectum assignatur ipsa voluntas hominis. 18. Cha-
racteres Sacramentales Baptismi, Confirmationis,
ac Ordinis inter se specie differunt. 19. Nec
Christus, nec Angeli fuerunt capaces characteris
Sacramentalis. 20. Bene verò Beatissima Virgo.
21. Peg-

21. Peccatum in ultimo instanti terminativo Baptismi commissum, recedente obice, remitti nequit per Sacramentum Baptismi : 22. Sed spectat ad Sacramentum Pœnitentia; vel perfectam contritionem. 23. Materiaremota Sacramenti Confirmationis est quidem Chrisma ex oleo, & balsamo confectum; ita tamen 24. Ut primum habeat rationem partis essentialis, secundum vero partis integralis. 25. Quamvis reliqua omnia Sacra menta sint species atomæ Sacramentii ut sic : 26. Non tamen Sacramentum Ordinis : 27. Hinc subdividitur in Ordines maiores, & minores, tanquam vera & propriè dicta Sacra menta. 28. Sole species sunt de ratione formaliter constitutiva Sacramenti Eucharistie. 29. Presentia Sacramentalis Christi ad species Eucharisticas non importat aliquam physicam unionem : 30. Aut modum absolutum : 31. Sed meram Relationem, ad Prædicamentum Vni spectantem. 32. Christus in sacra Hostia tot habet presentias, quot sunt partes Hostiae. 33. Imò tam ante, quam post divisionem Hostiae consecrata manet totus in qualibet parte sensibili : 34. Non tamen sub puncto indivisibili. 35. Sacramentum Eucharistie non tantum causat gratiam sanctificantem, quemadmodum cetera Sacra menta : 36. Verum etiam gratiam subsistentem, & quidem ex sua institutione primariò. 37. Regulariter ac de potentia Dei ordinaria loquendo nequit etiam per accidens causare gratiam primam sanctificantem. 38.

Accidentia Eucharistica neque acquirunt novum modum superadditum existendi; 39. Neque operandi. 40. Nullam actionem habere possunt, ad quam necessarius est influxus substancialis. 41. Tota ac essentialis ratio Sacrificij Missæ consistit in sola Consecratione: 42. Ut tamen habeatur verum Sacrificium, utraque species consecrari debet. 43. Mixtio aquæ cum vino in Missa non est de præcepto Divino, sed Ecclesiastico. 44. Ista aqua neque immediatè per verba Consecrationis convertitur in sanguinem Christi; 45. Neque manet in sua substantia post Consecrationem: 46. Sed immediatè transit in substantiam vini; postmodum in sanguinem Christi. 47. Objectum Virtutis Pœnitentie adæquatum est peccatum vindicabile, quatenus offensa Dei. 48. In aliquibus casibus sufficit Pœnitentia virtualis. 49. Sacramentum Pœnitentie non in sola Absolutione Sacramentali essentialiter consistit: 50. Sed simul essentialiter importat actus pœnitentis, scilicet dolorem, Confessionem & satisfactionem saitens in voto: 51. Quamvis istæ partes solummodo importentur in obliquo. 52. In nullo casu potest dari Sacramentum Pœnitentie validum simul & informe. 53. Sufficit Attritio ad justificandum peccatorem, quamvis non procedat ex motivo dilectionis Dei: 54. Etiam cognita ut talis: 55. Imò in articulo mortis. 56. Effectus primarius, ac principalis Sacramenti Extremæ Unctionis est gratia sanctificans, finaliter remissiva peccatorum

Parerga.

rum venialium, ac specialiter ipsius animæ condecorativa: 57. Ceteri autem effectus sunt solummodo secundarij. 58. Matrimonium ter
Immaculatae Virginis cum S. Joseph fuit verum,
ac propriè dictum matrimonium in ratione con-
tractus, non autem in ratione Sacramenti. 59.
Potest ex iusta, ac rationabili causa Summi Pon-
tifex dispensatione, & authoritate, à Christo
Domino sibi ut eisdem in Ecclesia Vicario com-
missa, totaliter dissolvi matrimonium ratum, ita
ut ueraque pars ad alia connubia transire valeat:
60. Invalidatamen esset dispensatio, si nulla ra-
tionabilis causa interveniret. 61. Omnes gra-
duis in linea recta consanguinitatis de jure natu-
ræ dirimunt matrimonium; & quidem in infi-
nitum. 62. Index Ecclesiasticus inferior Censu-
rà Ecclesiasticâ afficere debet juridicè nocentem,
seu convictum; licet privatâ scientiâ eum cogno-
scat esse innocentem. 63. Ignorantia concomi-
tans tam juris, quam facti excusat ab incurren-
da Censura Ecclesiastica. 64. Omnis ille, qui po-
test absolvere à peccatis mortalibus, potest pro-
babilius quoque absolvere à Censura qua-
cunque juris non reservata.

Omnia ad majorem Dei gloriam.



